Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE ROMA
RB 11
111
R. B. 111

1605 adi 19 magio

Fran.co figliolo del q. Andrea delli Spiriti et

Pasquina figliola del q. Batt.a delli Sa[n] Giorgi

tutti doi dalla Casazza

Dom. Prof. Rom.

# CONSTITVTIONES, ET DECRETA

Condita in Synodo Diœceſana Placentina,

SVB ILL.mo ET REVERENDISS. D. CLAVDIO RANGONO, Dei, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Gratia

*EPISCOPO Placentino, & Comite primò habita.*

Sedente S. D. N. CLEMENTE VIII. Pontifice Opt. Maximo.



PLACENTIAE,

*Apud Ioannem Bazachium,* M. D. C.

A.B 111

# CLAVDIVS RANGONVS,

## Dei, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia Epiſcopus Placen. & Co.

## *Vniuerſo Vrbis, & Diœceſis Clero, ac Populo Placentino ſalutem in Domino.*

*CVM voce illa Apoſtolica, & Diuina, Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo, quid nobis ſit agendum in hac Paſtorali cura magnopere moneamur, ex quo primum die hunc Epiſcopatum, aſſiduum ſcilicet laborem, curam, & ſolicitudinem ſuſcepimus, eò certè mentem noſtram conuertimus, vt ad propagandum Dei honorem, & ad procurandam huius Gregis Dominici ſalutem, aliqua & ipſi in medium afferremus. Nam & ſi, qui nos præceſſere, Antiſtites multa ſanè ſalutaria publicè congeſſerunt ad conformandam Eccleſiaſticam diſciplinam, omnesq; in officio continendos, tamen, quoniam bonis initijs non modò inſiſtendum eſt, verùm etiam longiùs progrediendum, diesq;, ipſa parit quotidie plurima, quibus in grauiſſimo Epiſcopali onere prouidendum, propterea, vt progreſſum aliquem feciſſe, & curæ Paſtorali non penitus defuiſſe, videremur, non tantùm anno ſuperiori Vrbem, & Diœceſim ipſam, inuiſimus, resq; Eccleſiæ Placentinæ pro virili parte noſtra diſpoſuimus, & conformauimus, ſed etiam hanc noſtram priorem Synodum iux-*

Act. Ap. c. 20.

Timoth. cap. 3.

ta Sacri Concilij Tridentini præſcriptum indiximus, & ipſo bene iuuante Domino, habuimus; atq; in ipſo Synodali conuentu quæcunq; videbantur exigere tam piam rerum moderationem, quàm vtilem, & neceſſariam innouationem, ſeu etiam correctionem, illa ſtatuimus, & decreuimus; & tandem aliquando commiſſa typis ad publicam huius Eccleſiæ vtilitatem euulgari iuſſimus. Rogamus autem vos omnes, & ſingulos, perq; viſcera Domini Noſtri Ieſu Chriſti obſecramus, vt libenti animo hæc eadem accipiatis, & quanto maximè poteſtatis amore, pietate, ſtudio, & diligentia, amplectamini, ſeruetis, & ſequamini; Voſq; totos ad eorum ſententiam accommodetis. Atq; velut in hiſce Decretis nihil nobis propoſitum fuit, niſi præpotentis Dei gloria, & veſtra ſalus, ita perſuaſum omnes habeatis, poſſe nihil nobis antiquius, nihiluè optatius euenire, quàm ut, quæ per Nos nouiſſimè ſancita ſunt, eadem promptis, & paratis animis, iugiter ipſi obſeruetis, & pœnis, & cenſuris, quæ delinquentibus proponuntur, nullum omnino locum relinquatis. Valete in Domino. Datum Placentiæ in Palatio noſtro Epiſcopali. Idibus Nouembris anni CIↃ IↃ C.

ORATIO

# ORATIO SYNODALIS

## Habita à R. D. Ioſepho Frandolino Sacræ Theol. Doct. & Plebis Duliariæ Archipresbytero.

*SI quis fortè miratur, quid ſit, quòd cum hic ſedeant tot viri authoritate graues, & in dicendi facultate exercitati, ego potiſſimũ ſurrexerim, qui neq; vſu, neq; ingenio, neq; eloquentia cum iis ſum comparandus, non vereor, quin, ſi facti mei cauſam is intelligat, eam certè probet, ac mirariq; deſinat. Equidem ſi mihi ab initio licuiſſet, libentiùs hoc dicendi onere liberatus conſediſſem in hoc celeberrimo conſeſſu Patrum, in hac ætate mea admodum ingraueſcente, in qua ſeni ſedendum potius fuit, quàm dicendo inſudandum. Verùm cum non leuem prouinciam mihi imponas, Præſul Illuſtriſſime, voluntatemque tuam apud me vim legis, & imperij, habere præmeferam, non poſſum iuſſa tua non capeſſere notam magis imperitiæ ſubiturus, quàm vllam contumaciæ ſuſpicionem. Cæterùm nemo longam à me, elaboratamue expectet orationem. Poſtulat ratio muneris miuncti; exigunt iure ſuo temporis anguſtiæ, quibus premor, vt paucis, ſimpliciter & ſummatim agam: ſic enim apud viros graues, & ſapientes, agi oportet. Non eſt, quòd in hiſce comitijs vlla alia de re potiùs verba faciam, quàm de Conciliorum neceſſitate, Decretiſque Synodalibus in vſum inducendis. Deinde verò, quia ex antiquo Patrum inſtituto habenda eſt generalis ſupplicatio, & in ea ſolenni celebritate deferendæ inſignes Reliquiæ, res ipſa poſtulat, vt de illarũ veneratione, ſi per tempus licuerit, pauca dicam. Adeſte, quæſo, Patres integerrimi, adeſte Ciues nobiliſſimi, adeſte omnes æquis animis, & cum beneuolentia.*

*Iam verò, cum nomine Conciliorum idem plane in Eccleſia ſignificetur, quod nomine Comitiorum in Rep. meritò, vt ibi ſuboriente aliqua rerum contentione, ſolent conuenire in vnum Principes, ſiue Magiſtratus, & ſancire, quid ſit opus facto, ita hic nempe in Eccleſia Dei, cum ſubeſt aliqua de fide, ſeu de religione, controuerſia, vel eſt aliqua circa morum conformationem ſuſcipienda diſceptatio, conueniunt Eccleſiarum Præſules, & collatis animorum ſententijs, ſtatuunt ea, quæ Chriſtianæ Reip. iudicantur fore ſalutaria. Porrò Cõciliorum originem non eſſe planè humanam, nec naturali ratione excogitatã, ſed Diuinam, perſuadent multa, & grauia, & ſatis ſuperque firma rerum argu-*

gu-

gumenta. Primùm quia perſpicuè demoſtrata ſunt Concilia à Chriſto Domino
illis præſertim verbis, Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, il-
lic in medio eorum ſum. Deinde, cum idem Dominus Noſter Ieſus Chriſtus
Dei filius perfecto iam, & abſoluto Redemptionis noſtræ myſterio, non ſolùm
vt Deus præpotenti Diuinitatis virtute, ſed etiam, vt homo corpore & anima
in Cælum aſcendiſſet, aſſumptamq́; humani generis naturam ad dexteram Pa-
tris collocaſſet, illicò ſanctiſſimi Apoſtoli vnà cum cæteris Domini diſcipulis
(erant centum ferè viginti fratres) non modò Concilium primum, illos ad-
monente Spiritu Sancto, celebrarunt, Et in eo Matthiam in locum Iudæ perdi-
tiſsimi latronis Diuina ſortitione aſſumpſerunt, verùm etiam ſæpe deinceps in
rerum dubiarum tractatione, & conſultatione, coacta ſynodo, conuenerunt.
Hinc Vas electionis Paulus Apoſtolus non per hominem, ſed per reuelationē
Ieſu Chriſti ad Apoſtolatum vocatus pro conſtituendis rebus, quæ ad regen-
dam Eccleſiam Dei pertinebant, Mileti maiores natu Eccleſiæ congregauit.
Deniq; (ne in re perſpicua multis moremur) ipſam Conciliorum celebrationē
de Apoſtolica Traditione deſcendiſſe, planum eſt; Apoſtolicas autem Tradi-
tiones quis verè Catholicus, & verè fidelis, inuenta humana audeat appella-
re? quorum quidem Conciliorum authoritas ſemper enituit in ſacroſancta Dei
Eccleſia, & ſæpenumero in maximis, & difficilimis rerum perturbationibus,
ad diſſipandas errorum tenebras, quaſi fulgor ſalutaris illuxit. Nam quotieſ-
cunq; Catholica Chriſti Eccleſia per infeſtos Chriſtianæ concordiæ hoſtes, ac
per implacabiles veritatis Euangelicę oppugnatores variè fuit diuexata, &
improbè ac calumnioſè exagitata, tunc ſapientiſſimi Eccleſiæ Patres, vt con-
tumelioſa aduerſariorum conuicia, ſophiſticas item cauillationes ne dicam
aniles ineptias, ſiue deliramenta, clariùs confutarent, & veritas ipſa disiectis
mendaciorum tenebris in aſpectum omnium prodiret, ad Conciliū, Synodumq́;
generalem tanquam terribilem caſtrorum aciem contra perfidos Eccleſiæ Ro-
manæ hoſtes confugerunt. Sed quoniam longum eſſet, omnia in medium af-
ferre Concilia diuerſis in Eccleſia temporibus, variiſque in locis celebrata, in
quibus tam pernicioſæ Hæreſes, quàm nefarij illarum authores & aſſeclæ pu-
blicè reuicti, & damnati ſunt, in præſentia breuitati conſulentes generatim di-
camus per ſingulas ætates ſummæ etiam neceſſitatis, nedum vtilitatis, fuiſſe
Concilia ad rectè gubernandam, propagandamue Dei Eccleſiam. Nam ſi ne-
ceſſe eſt, vt veniant ſcandala, teſtante Domino, ipſius veritatis authore, &
magiſtro; ſi oportet Hæreſes eſſe, grauiſſimo Pauli Principis Apoſtolorum
teſtimonio, certè neceſſe eſt etiam in Eccleſia certum ineſſe iudicium, quo &
ſcandala de medio tollantur, & Hæreſes ipſæ conuictæ damnētur. Alioqui bre
uiſſimo temporis ſpacio Eccleſia ipſa vniuerſa in plures diſciſſa partes interi-
ret. Si deſinant eſſe Concilia in Eccleſia Dei tam Prouinciarum, & ſingula-
rum Ciuitatum, quàm Generalia, futurum eſt omnino, vt caliginoſa vitiorū,

&

*& errorum noctе omnia ita obteгantur; vt ſurſum deorſum, vltro, citroq; ver*
*ſentur omnia, humana, & diuina commiſceantur. Ne ſingula proſequamur,*
*ante Concilium Tridentinum, ( quod noſtra, & Patrum memoria cœptum,*
*& abſolutum eſt ) vt erat vinea Domini diſſipata? vt Nauis Petri mirum in*
*modum iactata, templum Domini perturbatum? Eccleſia Dei pluribus, &*
*exitioſis errorum vndique erumpentium motibus agitata? Tunc paſſim Eccle-*
*ſia ſine Prælatis, & Prælati longè ab eorum Eccleſijs ſummo cum rerum di-*
*uinarum detrimento viſebantur; Populuſque Chriſtianus veluti grex ſine pa-*
*ſtore errabat, nec à quibus ad amœna ſcripturarum paſcua duceretur, habebat*
*tantumquè aberat, vt oues Dominicæ paſtorum ſuorum voces exaudirent, vt*
*ne vultus quidem eorum agnoſcerent. Ad ſedandos rerum turbines, ac pro-*
*cellas, ad tollenda vitia, & abuſus, qui in Remp. Chriſtianam ſenſim irrepſe-*
*rant, ad reſtituendam Cleri, & Populorum diſciplinam, Ampliſſimi Patres*
*Tridentini plurima diuinitus certè conſtituerunt tam ad dogmata, quàm ad di*
*ſciplinam eccleſiaſticam pertinentia, quibus tum Hæreſes prope vniuerſa exi-*
*muntur, & quaſi caligo ſole diſpelluntur, tum mores in melius multò emendã*
*tur. Inter cætera conſultiſſimè ſancitum eſt, vt Clariſſimi Chriſtianorum Po*
*pulorum Principes, fideliumque inuictiſsimi Ciuitatum Duces, & Præſules,*
*per ſingulos annos Ciuitates, & Diœceſes eorum curæ commiſſas inuiſant. Nã*
*cum eadem ſit hominum, quæ & agrorum natura, qui niſi crebrò excolantur,*
*nullum, aut certe perexiguum fructum ferunt, magnamq; ſpinarum copiam*
*latè effundunt, contra verò ſi diligens illis cultura adhibeatur, & ſteriles agri*
*ſæpe fructuoſi euadunt, & natura boni meliores efficiuntur; ob hanc cauſam*
*tantopere iure Sacrorum Canonum Viſitatio Epiſcopalis, quaſi quædam ſpiri-*
*tualis populorum cultura commendatur. Quippe quoniam hinc boni mores cõ-*
*ſeruantur, deprauati corriguntur, rerum diuinarũ veneratio propagatur: hinc*
*omnes demum ad pietatem, & ad Dei ipſius gloriam ſolerti viſitantium pru-*
*dentia inſtituuntur. Proinde Præſul hic optimus curam paternã in hunc agrũ*
*Domini tutelæ ſuæ creditum aſſiduè gerens, & nulli omnino labori parcens ad*
*patrum normam, Generaliſque Concilij Tridentini præſcriptum hoc anno ma*
*iorem Vrbis, & Diœceſis Placentinæ partem per ſe ipſe luſtrauit, reliquam*
*uerò per viros graues, & induſtrios, fideleſque operarios, ne eccleſiaſticæ di-*
*ſciplinæ pars vlla ſine fructu relinqueretur.*

*Et quoniam ad explicandam fidei Catholicæ veritatem, ad moderandos hominum*
*mores, ac omnes in officio continendos, nihil poteſt eſſe in Eccleſia Dei publi-*
*co, & ſolenni Conuentu Diœceſano accommodatius, idem vir Ampliſſimus*
*acutiſſima mentis acie per omnes vrbis, & Diœceſis circumlata partes vidit*
*etiam poſt illas multas & graues Antiſtitum ſuperiorũ Conſtitutiones emer-*
*ſiſſe multa, quæ tam noua, & opportuna declaratione videbantur egere, quàm*
*vtili & neceſſaria curatione. Iuxta enim perſonarum, & temporum qualita-*
*tes*

*tes interdum leges immutandæ ſunt, & pœnæ grauiores imponendæ, vt homines ſaltem metu pœnarum à peccato deterreantur: & ſicut morbo grauiori validiora ſolent adhiberi medicamenta, ita peccatis ac delictis, ſuggerente Sathana, & aſſentiente hominum fragilitate in dies magis atque magis incrudeſcentibus, noua quidem & grauiora, ſed ualde ſalutaria remedia præparari debebant. Hinc Præſul ipſe Ampliſſimus ſeruata Patrum, & Concilij Tridētini forma huius Diœceſanæ Synodi comitia indixit, & habuit, noſque omnes, in hanc Aedem conuocauit in medium allaturus Decreta, quibus rectè & Chriſtianè viuendi ratio dirigatur. Qua quidem in re cum ad optimè agendum, prudenterue decernendum, non tantùm præclaro naturæ impulſu propendeat, verùm etiam vſu rerum, peritia, & ſtudio, multa addiderit, quid non magnum, non egregium, non amplum, non ſpecioſum, non domeſtico, & illuſtri exemplo dignum expectemus? cum non deſint ei plurima, & præclara ad omnem æternitatem publicis conſecrata monumentis, auorum, & Heroū nobiliſſimæ Rangonorum familiæ exempla. Ex qua quidem tanquam ex pereni, & vberrimo, fonte profluxit ſapientiſſimorum, illuſtriſſimorumq; virorum, ac Præſulum tanta vis, & copia, quantam vix in vlla vel ampliſſima Italiæ familia aut vidimus, aut cognouimus. Quorum quidem omnium virtutes, & facta illuſtria, & glorioſa ita enituerunt domi, & foris, vt eorū nomina nunquam ætas vlla ſit obſcuratura: & de quibus ſatiùs eſt in præſentia tacere, quàm paucos ſigillatim numerando recenſere. Itaq; (vt rem paucis abſoluam) præter inclitam eius auorum excellentiam, & amplitudinem quis neſciat huic clariſſimo viro ineſſe etiam propria, quæ reddunt homines maximè venerandos, & admirabiles? nempe ſcientiam rerum, virtutem, & authoritatem? Solomon ille ſapientiſſimus auſpicium Regni initurus, cū ab ipſo Immortali Deo ſibi data fuiſſet facultas petendi ea, quæ uellet, nihil tunc potiùs expetiuit, quàm ſapientiam; quippe quæ ſit ad regendos populos maximè neceſſaria. Felix, & fortunata Ciuitas, ac Diœceſis Placentina, cui datum diuinitus, tantum habere Præſulem non minus eximia rerum diuinarum ſcientia clarum, quàm humanarum notitia præſtantē, & eum, qui in excelſa huius Eccleſiæ puppi ſedens, clauumque tenens, uelit, ſciat, atque poſſit omnia rectè, & ſapienter gubernare. Nam humanitate, candore animi, pietate, innocentia, religione, omni deniq; uirtutum ſplendore ſic effulget, ut bonorum uirorum iudicio, ipſa natura duce, ad eximia quæq; effectus eſſe uideatur. Si conchylijs ineſt ille natura ſenſus, ut partes ſuas commaculari pertimeſcant, Bone Deus, quanta Patris huius optimi, Paſtoriſq; huius uigilantiſſimi cura, quanta ſolicitudo, ne grex Domini ſibi commiſſus ulla uel peruerſa hominum doctrina, uel morum prauitate inficiatur? in hoc unum ſtudet, hoc unum intuetur, aſſidue in hoc uerſatur, in hanc curam totus incumbit, ut hæc ſancta Dei*

*Ec-*

Eccleſia, uelut ſponſa ſibi dilectiſsima ſarta, tecta, & illæſa conſeruetur. Deniq; quotus quiſq; noſtrum non ſuſpiciat, admiretur, uereaturq; hanc maieſtatem à Deo Optimo Maximo deriuatam? in cuius quidem dignitatis, & poteſtatis, Symbolum datur Baculus ille Paſtoralis, ut Moiſi, & Aaroni uirga: traditur item ſolenni ritu Mithra, ſeu Cydaris illa bicornis, ut capitis ornamentum præſeferat, non modò ſcientiam ueteris & noui teſtamenti, ſed etiam ſit certiſsimum utriuſq; poteſtatis argumentum. Adeò grauis eſt perſona, quã ſuſtinent Epiſcopi, ut non modò ſæpe dicantur Duces, & Paſtores, Doctores, item, atq; Patres, uerùm etiam Reges. Quid ergo mirum ſi Dux, ſi Paſtor, ſi Doctor, ſi Pater iſte beneuolentiſsimus, uerè Epiſcopus, ideſt inſpector, ſiue cuſtos, uel conſultor, aut uindicator, more non dico Prætoris, ſed Regis, præcedente diligenti, & matura rerum deliberatione, adhibitiſque complurıbus piorum, & peritorum hominum conſultationibus, inſpectis, & prouiſis quibuſcunq; rebus ad hanc ipſam rem maximè neceſſarijs, leges, & Decreta condit, quibus ueritas in lucem, & aſpectum, reuocetur, eccleſiaſticaue diſciplina magno cum fructu inſtituatur, & piæ religionis integritas inſtauretur? Quare cum ipſe datus ſit ſpeculator huic domui Iſrael, ut hunc fidelem populũ regat, illiuſq; ſaluti ſumma cum uigilantia proſpiciat, commoda, & utilitates omnium procuret, ac doctrinæ pabulo, & ueritate paſcat infirma cõfirmet, deprauata corrigat, & uerbum uitæ in æternitatis cibum alendæ familiæ diſpendat, reliquum eſt, ut omnes, & ſinguli paternis illius monitis obſequamur: leges animo libenti ſuſcipiamus, & quanta maxima poſſumus fide, & obediẽtia in uſum inducamus. Equidem non ſatis eſt habere leges coſcriptas, & ad perpetuam rei memoriam in æs ipſum inciſas, ut non ſufficit medicamentum quidem ſalutare compoſitum, & paratum eſſe, uel pecuniam in arca incluſam habere. Verùm, ſi morbum expellere uolumus, ſumendum eſt medicinæ poculum, & per uenas ipſas in omne corpus diffundendum, & pecunia ipſa in uſus quotidianos eroganda. Nos, Dilectiſsimi Fratres, uiuæ, nos loquentes leges, eſſe debemus, & norma quaſi quædam, & regula ad quam aliorum actiones, & ſtudia conferantur. Nobis accuratè laborandum eſt, ut uirtutum ſapore, & luce, populos condiamus, & illuſtremus; ne peccatorum tabe putreſcant, neue morbis ſempiternæ tenebris obruantur. Nos ipſos (quoniam lux mundi ſumus) cæteri omnes intuentur; mores quiſq; ſuos exemplo noſtro, & imitatione noſtra, conformat: ſi uiderint leges à nobis, uel minimum negligi, ſiue præteriri, illas ipſi etiam perrumpere conabuntur. Quod ſi illas à nobis ſanctè, & inuiolatè coli perſpexerint, nemo illarum religionem uiolabit, ſacroſancta & inuiolata erit apud omnes illarum authoritas. Nam cum grauiſsimè iuxta ac ueriſsimè dictum ſit, Sacerdotes tui induantur iuſtitiam, & ſancti tui exultent uſu quotidiano compertum eſt, ſanctum Dei populum, nempe reliquos fideles incredibili gaudio perfundi, & uitã in melius inſtituere, ubi uiderint or-

*dinem ſacerdotalem ſuo rectè fungi officio, ſobrietati deditum, continentię ſtudioſum, & diuino cultui ſanctè famulantem. Nihil eſt, quod magis diſciplinam ecclleſiaſticam conſeruet & communiat, quàm ſacrę leges, & Decreta; quæ quidem vt praſcribunt hominibus honeſta, & ſalutaria, ita prohibent contraria. Caueamus, Fratres, ne libellus iſte Decretorum promulgandus tanquam Moiſis liber ille in Arca fœderis poſitus in die Iudicij ſit contra nos in teſtimonium. Agitè mores noſtros, totiuſque uitæ noſtræ inſtitutum ad harum Conſtitutionum formulam accommodemus: proque inuiolata earum obſeruatione publico & ſolenni iuramento adacti uiriliter more Machabęorum animas etiam ipſas prodigamus. Quodſi legibus & Decretis nos ipſos addixerimus, ſine dubio ſeruiemus ſapientię, ſeruiemus honeſtati, ſeruiemus officio, ſeruiemus religioni, uiamq́; nobis facilè in cœlum muniemus. Si immaculatę fidei integritatem inconcuſsis diuinorum præceptorum diſciplinis, haſq́; leges Synodales, exactè ſeruauerimus, non dubium eſt, quin poſt hunc breuem, & exiguum uitę curſum ab ipſo immortali Deo ſempiterna Cœleſtium bonorum copia cumulandi in æterna tabernacula ſuſcipiamur.*

*Nunc autem, quò maiori pietate ueneremur illa ſacra Sanctarum pignora, de quibus recepi me dicturum, audite quęſo, Patres integerrimi, rem multis, opinor, adhuc inauditam, & longe quidem ab eo, quod paſsim circumfertur, alienam, uerißimam tamen, & à fideliſsimo Codice Vaticano deſumptam. Siquidem illę inſignes Reliquię, illaue quatuor Sãctarum Capita, quę in loculis illis egregio opere confectis recondita intuemini, ſunt ex numero earum undecim millium uirginum, & martyrum, quę olim ſub Maximo Tyranno, (qui temporibus Gratiani Imperatoris inuaſerat imperium) Duce, & hortante, Vrſula, uiragine illa nobiliſsima, & in fide Chriſti conſtantiſsima Dionoci Regis Cornubię filia animo uirili, & intrepido, paratę mortem ipſam potiùs oppetere, quàm quid ignominioſum pati, omnes à Melga Pyctorum, & à Ganno Hunnorum Pyratis, nefaria eorum libidine mutata in furorem barbaricũ in littore Germanico crudeliter trucidatę ſunt. Et ſacra quidem illarum cadauera, ſparſa de glorioſa uirginum nece fama, à uicinis locorum accolis ad Coloniam Agrippinã delata ſunt, & debito martyribus honore celebrata: & earum animę triumphantes in cęleſti patria uitam degunt, Angelorum Choris interſitę: Corpora uerò non ſingula ſingulis condita monumentis, ſed Ciuitates, & Oppida, fideliumq́; Conuentus hęc inter ſe ſe partiti ſunt; ut pluribus in locis plures item uiri pietate conſpicui earum precibus plurima, & diuina munera conſequantur. Accipite paucis, quonam felici facto in hanc Ciuitatem allatę ſunt.*

*Infinita prope ſunt, & illa quidem celeberrima, quęcunq; pręclarè geſsit pro fide catholica, Glorioſę Memorię Alexander Farneſius, ille Magnus Imperator,*

*Pla-*

*Placentię, & Parmæ Dux ille Inclitiſsimus. Propediem, ut audimus, typis
inuulgabuntur, legent poſteri, mirabuntur, obſtupeſcent. Hoc interim ſpatio
illud ſanè memorabile, nec tantùm pia, & accurata mente recolendum, ſed
etiam ſempiternę memorię conſecrandum. Quippe quòd ſingulari Ducis Inui-
ctiſsimi prudentia, & religione, procuratum, & effectum eſt; ut hę pręclarę,
& inſignes exuuię, hęc ſacra Sanctarum trophæa in Italiã tranſlata ſint. Quòd
ſi olim Alphonſus Hiſpaniarum Rex ille potentiſsimus, Maſsilia ui capta, &
expugnata, illinc uenerabile corpus Aloiſi, uelut ſolã clariſsimę uictoriæ mer-
cedẽ Valentiam euehi ſtuduit; ſi Carolus item Imperator ille Magnus illa Apo
ſtolorum corpora, certiſsima Chriſtianæ religionis pignora Tholoſſam tranſ-
ferri curauit, felici tempeſtate noſtra Alexander Farneſius Dux ille Sereniſ-
ſimus, nec minus rerum multitudine, quàm magnitudine, feliciſsimus, deui-
cta, & ſubacta, bellicoſa gente Belgarum, multa præclara martyrum monu
menta, tanquàm magnificas rerum à ſe inclitè geſtarum manubias in ſuæ di-
tionis nobiliſsimas Ciuitates pio ritu deferri uoluit. Atq; ex eis Caput unum in
hanc ſuam clariſsimam Ciuitatem uenerando ſancti Petri Collegio Societatis
Ieſu dono miſit ex Flandria. Cuius quidem pietatem eximiam imitatus perillu-
ſtris Leolazarus Arcis Placentinæ Præfectus, alia tria Capita Virginum unà
cum multis alijs Reliquijs eiuſdem Sereniſsimi Ducis authoritate habita, ſibiq;
à Comite Coſmo Maſsio (qui Principi Sereniſsimo à conſilijs, ſecretiſq; erat in
Belgis) diligenter, fideliterq; curata, tranſmiſſaq; Placentiam eidem ſocieta-
tis Ieſu Collegio perbenignè donauit. De quarum quidem fideliſsima recogni-
tione, & certiſsima probatione, piaculum magnum foret, uel minimum ad-
dubitaſſe, cum plurima extent documenta ad perpetuam rei memoriam publi-
cis monumentis, atq; Diplomatis conſignata grauiſsimis. Supereſt tantum, ut
citra omnem controuerſiam piè ueneremur exceptas pro Chriſti nomine Mar-
tyrum cicatrices. Recordemur immenſa Dei benegnitate prouiſum, ut in hac
uita breui, & exigua, ſanctorum Agones, & labores citò finirentur, quò
meritorum præmia etiam ad publicam fidelium utilitatẽ ſine fine perdurarẽt.
Veneremur more pio Reliquias, & eo cultu, quo illas piè, & religiosè afficit
Eccleſia ſancta Dei proſequamur. Magni ſemper æſtimatæ ſunt Reliquiæ, ea-
rumq; tranſlationis memoria ſanctè ab ipſo naſcentis Eccleſiæ primordio inſti-
tuta, & perpetua conſuetudinè repetita. Romani certe Pontifices ſæpe pro ma
gno munere ad Clariſsimos homines & Potentatus tranſmiſerunt, non ſacra
Sanctorum Cadauera, non oſsium fragmina, non tenuem illorum raſuram,
non minutiſsimã cathenarum limaturam, ſed uelamina dumtaxat ſacris ſan-
ctorum Reliquijs admota. Reges Francorum olim prælia inituri, & præcla-
ras rerum expeditiones aggreſſuri, cum alias inſignes Reliquias, tum uene-
randum Diui Martini (cuius ſolennitas hodie celebratur) pallium reli-
gionis ergò ſecum afferre conſueuerunt. Ad extremum percolendi ſunt om*

*nes quidem Martyres, ſed ij præcipuè ueneràndi, quorum pignora poſsidemus. Beata Ciuitas Placentia, quæ cum tot certiſsimis, & celeberrimis, Diuorum, & Diuarum Reliquijs nobilitata ſit, etiam hodierna die eximio, & ſengulari beneficio Sereniſsimi Ducis Alexandri hoc cæleſti Reliquiarum theſauro locu pletatur. Felices animæ, Beati ſpiritus, Diuini Martyres, Antonine, & Iuſtina, huius nobiliſsimæ Ciuitatis Almi Protectores, uoſq; Sanctiſsimæ Virgines, quarum hodie ſacra pignora ex hac Baſilica in Diui Petri Aedem perferuntur, Diui, Diuæq; omnes apud Deum nobis impetrate, ut pro immenſa eius in omnes bonitate, & clementia, dignetur ipſe Deus elargiri Illuſtriſsimo Antiſtiti noſtro Claudio Rangono ſpiritum rectum, & bene ſonantem, ad dirigendam Synodi huius tractationem, longanimitatem, & perpetuam in hũc gregem Domini uigilantiam, Sereniſsimo Duci Rainutio uitam, felicem, & diuturnam, & in omni tempore rerum proſperitatẽ, rectiſsimamq; Populorũ adminiſtrationẽ, Populo Placentino pacẽ, & concordiam, rerumq; omnium abundantiam, Nobis autem in hanc ſacroſanctam Synodum conuocatis alacritatem perficiendi ipſius Dei uoluntatem omni tempore, & ſtudium ſingulare exequendi Leges, & Decreta Synodalia, ad Omnipotentis Dei gloriam, ad pia religionis incrementum, & animarum ſalutem. Dixi.*

Elenchus

Elenchus eorum, quæ in Synodo præſenti continentur.

De

*Baptiſmi Sacramento.* Cap. 75
*Beneficijs.* 166
*Blaſphemis.* 28
*Cancellario Curiæ Epiſcopalis.* 189
*Capitulo Cathedr. & Collegiatarum.* 48
*Clero.* 46
*Confirmationis Sacramento.* 79
*Congregatione caſuum conſcientiæ.* 64
*Conſeruatione bonorũ Eccleſiæ, & eorũ adminiſtratione.* 171
*Decimis.* 168
*Diſciplinatis.* 159
*Diſtributionibus quotidianis.* 71
*Duellorum abuſu.* 187
*Euchariſtiæ Sacramento.* 94
*Extremæ Vnctionis Sacramento.* 98
*Feſtis diebus rite ſeruandis.* 16
*Fide Catholica, & illius profeſſione.* 1
*Foro Epiſcopali.* 121
*Funeribus, & officijs defunctorum.* 137
*Iis, quæ generatim pertinent ad has Conſtitutiones.* 195
*Immunitate Eccleſiaſtica.* 36
*Iudæis.* 30
*Libris & Bibliopolis.* 13
*Ludimagiſtris.* 134
*Matrimonio.* 111
*Miſſæ ſacrificio.* 127
*Monialibus.* 151

*Mulie-*

*Mulieribus, quæ vulgò dicuntur Retirate.* 158
*Ordinis Sacramento.* 102 *Parochis.* 52
*Pia in Eccleſiis conuerſatione.* 39
*Prædicatione verbi Dei.* 8
*Proceſſionibus.* 130
*Pœnitentiæ Sacramento.* 81
*Quadrageſima.* 26
*Quæſtoribus vulgò quæſtuarijs.* 186
*Regularibus.* 148
*Reliquijs Sanctorum.* 23
*Reparandis Eccleſiis.* 33
*Sacramentis in genere.* 73
*Sacramentalibus.* 120
*Scholis Doctrinæ Chriſtianæ.* 161
*Teſtibus Synodalibus.* 186
*Theologica lectione,* 7
*Vicarijs Foraneis.* 180 *Vita, & honeſtate Clericorum.* 43

Notula eorum, quæ poſt Conſtitutiones, & Decreta Synodalia addi curauimus.

*Breue Greg. XIII. Confratr. Doctr. Chriſtianæ.* 262
*Breue Pij V. Confratribus Doctrinæ Chriſtianæ.* 261
*Breue Greg. XIII. de rebus Eccleſiæ alienatis, & alienandis vſq; ad ſummam 25. Ducat.* 270
*Bulla Greg. XIII. de Indulg. Confratr. prædictis.* 263
*Caſus Reſeruati Epiſcopo.* 344
*Conſtit. Clem. VIII. contra pugnantes in duello.* 302
*Conſtit. Clem. VIII. moderatoria Bullæ Sixti V. de Clericis male*

pro-

promotis. 317
Conſt.Clem.VIII.contra Regul.peccãtes extra monaſteria. 315
Conſt.Greg.XIII.de illegit.Regul.moderatoria Cõſt.Six.V. 291
Conſtit.Greg.XIII.ſuper immunitate Eccleſiarum. 295
Conſtit. Greg. XIII. Confratribus Doctrinæ Chriſt. 261
Conſt.Leonis X. ſuper reform.Gen.Clericorum,& laic. 220
Conſtit. Pij IIII. ſuper formula profeſſionis fidei. 212
Conſt.Pij V. de obſeruantia diuini cultus, & aliarũ rerũ. 225
Cõſt.Pij V.de obſeruãdis à medicis in curatione infirmorũ. 234
De clauſura Monialium. 237
Ne Moniales exeant è Monaſterijs. 240
De reſidentia Rectorum Eccleſiarũ Parochialium. 249
De impedientibus, & offendentibus ſtatum, res, & perſonas Inquiſitionis. 251
De non recitantibus horas Canonicas. 256
Conſt. Sixti V. de contractibus ſocietatũ ſaluo capitali. 275
Circa confidentias, quæ ẽt extenditur ad Regnum Galliæ. 281
Contra Matrimonia Eunuchorum, & Spadonum. 288
De habitu et tõſura p Cleric.et obtinẽtes beneficia deferẽdis. 287
Decr.Sac.Cõgr.Card.ne Religioſi accedãt ad monaſt.monial. 353
Decr.Sac.Cõg.ne Regul. cuiuſcũq; ord. Sacerdoteſue Seculares ẽt Societ.Ieſu abſoluant à caſibus Bullæ Cęnæ Domini,& à caſibus reſeruatis Epiſcopis. 351
Decr.Sac.Cõgr.Card.de obſeruãdis à Reg.ĩ ſuſceptione ord. 355
Edictum pro Quadrageſimæ obſeruatione. 369
Edictum de feſtis diebus ſeruandis. 385
Edictum de acceſſu, & ingreſſu ad monaſter. monial. 373
Edictum de Notificandis legatis pijs. 375

Edi-

*Edictum de pia in Eccleſijs conuerſatione.* 388
*Edictum contra concubinarios,* 376
*Edictum contra Feudatarios emphiteotas, & alios obligatos Menſæ Epiſcopalı.* 378
*Examinatores Synodales.* 210
*Examinanda pro præſenti Synodo.* 200
*Formula profeſſionis fidei.* 213
*Formula iuram. exigen. à prouidendis de beneficio.* 218
*Formula & cautio adhibẽ. in abſoluẽdo ab excom. maiori.* 349
*Indictio Synodi Diœceſanæ Placen.* 197
*Indulgentiæ Greg. XIII. Confratribus Doctr. Chriſt.* 264
*Iudices Querelarum.* 208
*Iudices Synodales.* 209
*Literæ Paſtorales.* 199
*Literæ Cõg. Card. ſuper facultate abſoluẽdi à caſibus Ep̃o reſeru. virtute Iubilei, non virtute priuilegiorũ, & facultatũ.* 351
*Literæ Congr. Card. quibus probibetur acceſſus Regularibus ad monaſteria monialium, etiam ſibi ſubiectarum.* 314
*Literæ proceſſus Bullæ Cœnæ Domini Clem. VIII.* 324
*Monitiones pro Synodo.* 201
*Monitiones ad Præfectos Scrutinij.* 207
*Magiſtri Cæremoniarum.* 209
*Præfecti Hoſpitiorum, & Præfecti Scrutinij.* 208
*Promotor Synodi.* 208
*Secretarius Synodi.* 208
*Sententia contra contumaces menſæ Epiſcopalis.* 382
*Tabella Scrutinij Sacerdotalis.* 203
*Teſtes Synodales Urbani & Diœceſani.* 211

*FINIS.*

# CONSTITVTIONES, ET DECRETA CONDITA IN DIOECESANA SYNODO PLACENTINA.

In nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

*Nos Clavdivs Rangonvs Dei, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ. gratia Epiſcopus Placentinus, & Comes,*

Hæc, tota Synodo approbante, ſtatuimus, & ſancimus.

## *DE FIDE CATHOLICA, & illius Profeſsione.*

PASTORALE munus Eccleſiæ huius Placentinæ nobis meritis licèt imparibus iniunctum poſtulat, vt ſæpe tacitamente repetentes, non modò huius Dignitatis amplitudinẽ, ſed laboris, ſed oneris ſuſcepti, difficul-

tatem, pro Gregis huius Dominici ſalute conemur ea præſtare, quibus ablata labe vitiorum, puritas diſciplinæ Eccleſiaſticæ vtiliter, & magno cum fructu inſtituatur; &, vbi inſtituta eſt, in dies ſingulos non ſolùm conſeruetur, ſed etiam adaugeatur.

QVONIAM verò ſolicitudo Epiſcopalis in iis rebus maximè verſari debet, quę pertinent ad integrè, & inuiolatè tuendam fidem Catholicam, quam Sancta Romana Eccleſia, Mater omnium Eccleſiarum, & veritatis magiſtra colit, atq; docet, propterea hanc ipſam fidem, ſine qua (vt inquit Apoſtolus) impoſſibile eſt placere Deo, vti ſcutum firmiſſimum, in quo omnia tela Nequiſſimi ignea extingui poſſunt, omnes, & ſinguli tum Clerici, tum Laici homines conſtantiſſimo mentis aſſenſu amplectantur, palamq;, & apertè profiteantur.

*Ad Heb. cap. 11.*
*Ad Ephe. cap. 6.*

CVIVS quidem fidei profeſſionem Nos hanc Synodum Diœceſanam ex veteri Sacrorum Conciliorum inſtituto, & ex comproba-

probata conſuetudine, &iuxta Oecumenici Concilii Tridentini pręſcriptum celebrantes, iurati publicè præſtitimus ad formulam Conſtitutionis Pii Quarti Summi Pontificis editæ, quam etiam in hoc ipſo Synodali Conuentu promulgari, & publicè legi iuſſimus; vt ad eius normam omnes, qui ad hanc Synodum conuenire debent, iurati pariter eiuſdem fidei profeſſionem faciant, prout etiam nobiſcum omnes præſtiterunt; etiam ſi pleroſq; idipſum in ſuperiori Synodo Placentina feciſſe manifeſtum ſit. *Id.b.Nou. 1564.*

MEDICI, & Chirurgi artem ipſam exercentes, non ſolùm eandem fidem palàm, & publicè profiteantur, ſed etiam omnia, quę in Conſtitutione Pii V. Pont. Maximi continentur, medio eorum iuramento, coram Notario publico, & teſtibus in manibus Ordinarii iurent, ſe obſeruaturos, & de huiuſmodi iuramento in Priuilegio, ſeu Licentia medendi, ſpetialis mentio fiat. *Die 8. Martij. 1566. edita.*

VT autem eiuſdem fidei integritas illæſa perpetuò conſeruetur; & oues pretioſo

ſanguine Domini Noſtri Ieſu Chriſti redemptæ ab omni ſorde Hæreſum præſeruentur, omnibus, & ſingulis huius Diœceſis hominibus, quauis dignitate, honoreue fulgentibus, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ mandamus, vt ſi eorum quiſpiam ſcierit, vel intellexerit, in Vrbe, vel in Diœceſi, eſſe cuiuſuis ſectæ Hæreticos, vel eo nomine ſuſpectos, aut infames, vel quouis modo à fide Catholica aberrantes, vel qui Hæreticalia protulerint, vel qui libros Hæreticales, ſcriptaue prohibita legunt, vel apud ſe habent, illos omnes, & ſingulos, vel Reuerendiſſimo Epiſcopo, vti Hæreticę prauitatis Inquiſitori Ordinario, vel Reuerẽdo Inquiſitori deferat. Hoc autem Decretum per Parochos tam Vrbis, quàm Diœceſis Placentinæ quotannis diebus à nobis in calendario præſcriptis, inter miſſarum ſolennia, vnà cum Edicto noſtro lingua communi expreſſo, publicetur.

ET quoniam fidem hanc Catholicam, quæ principium, fundamentumue, ac radix eſt

no-

noſtræ iuſtificationis, tunc præcipuè hoſtis humani generis conuellere conatur, cum ægrotus inter anguſtias propinquæ mortis verſatur (callidiſſimi enim ſerpentis iam inde à mundi initio mos eſt, vt hominis calcaneo, ideſt fini, inſidietur) propterea quilibet ægrotus, mortis imminēte periculo, ſiue per ſe ipſum, ſiue etiam per alios eius nomine fidem Catholicam latina, aut propria lingua ad præſcriptam Conſtitutionis Pii IIII. formulam profiteatur; vt rugientis illius leonis tentationes, quibus fortiter in fide eſt reſiſtendum, faciliùs ſuperare valeat: id quod plurimum Parochorum diligentiæ, & charitati, commendamus.

QVONIAM verò dedit nos Dominus ſpeculatores domui Iſrael, vt annunciemus Populis, ne morte moriantur; & ne fortè requirat Dominus ſanguinem illorum de manu noſtra, maximè nobis inuigilandum eſt, ne lupi pellibus ouium induti in ouile noſtrum ingrediantur, & oues nobis commiſſas rapiant, & diſpergant; propterea *Ezech. ca. 14.*

cupi-

cupientes gregem pretioſo Domini noſtri ſanguine redemptum, & fidei noſtræ commiſſum, ab omni Hæreſeos labe ſincerum, & integrum pro virili noſtra ſeruare, & cuſtodire, inhærentes etiam Bullæ S. D. N. Clementis VIII. Pont. Max. omnia, & ſingula, quæ in eius Conſtitutione continẽtur, quæue in Indice librorum prohibitorum anno 1596. eiuſdem Sum. Pont. iuſſu edito ſancita fuerunt, præſenti Decreto inuiolabiliter ſeruari, ac cuſtodiri mandamus; ſub pœnis etiam pecuniariis, arbitrio noſtro imponendis, & locis piis applicandis.

*Edita 1596. die*

DENIQ. ne vllus Sanctæ Inquiſitionis officium, ſtatum, res, & miniſtros, lædere, aut violare, audeat; quotannis per Parochos ad populum frequentem inter miſſarum ſolennia promulgetur Pii V. Conſtitutio eo nomine edita: de qua in fine Harum Conſtitutionum.

*Cal. Apr. 1569.*

DE

## DE THEOLOGICA *Lectione.*

QVI in Cathedrali ex Sacri Cõcilii Tridentini præſcripto obtinet, vel in poſterum Præbendam Theologalem obtinebit, ſacræ ſcripturæ expoſitionem, & interpretationem obeat; necnon legat, & doceat, Caſus conſcientię in Baſilica, iuxta Conſtitutiones Synodi vltimæ editas. *Seſſ. 5. de refor. cap. 5.*

AD lectionem accedant omnes, non ſolùm Parochi vrbis, nullo legitimo detenti impedimento, verum etiam cęteri ſacerdotes, & clerici cuiuſuis ordinis; etiam ſi nulla obtinent beneficia; ſub pœna quartę partis aurei per Parochos, & curã animarum gerentes perſoluendæ, & in vſus pios conuertendæ Ordinarii arbitrio; quò verò ad alios, ſub pœna eiuſdem Ordinarii arbitrio infligenda.

*DE*

## DE VERBI DEI Prædicatione.

VT liberiùs, & vtiliùs Concionator Verbum Dei prędicare poſſit, arguere, & increpare in omni patientia, & doctrina, ſtudeat opus Euangeliſtæ facere, miniſteriumq; ſuum implere non magis verbo, quàm exemplo. Oportet enim eum, qui in alios paratus eſt dicere, ex cuius ore pendent omnes, quiue aliorum inſtitutor eſt, & laudabilium morum ſe præbet exemplar, omni vitio, & reprehenſione carere, ne ei obiici poſſit à peccatore, Medice cura te ipſum; Quare cum aliàs, tum præſertim prædicandi temporibus Concionatores fugiant conuiuia ſecularium, conuerſationesq; Laicorum, confabulationes item, & laſciua, ſcurriliaue verba, & omnia demum, quæ etiam perſonis ſecularibus vitanda ſunt.

CONCIONATORES, antequam munus prædicationis aggrediantur, intelligere, & cognoſcere ſtudeant vitia, & ſcelera,

ra; in quæ populus frequentiùs labi conſueuerit, vt ea ſuo loco deteſtari poſſint; & præſertim in Diœceſi, Parochum conueniant: & ab eo præter illa, quæ in Inſtructione generali ab Ordinario dari ſolita cõtinentur, diligenter inueſtigent, quænam peccata, vitia vé in ſuo populo præcipuè ſunt deteſtanda, & euellenda, quęué virtutes ſeminandæ, & opera pietatis inſtituenda, vt ſuo muneri utiliùs ſatisfacere poſſint.

CAVEANT Concionatores, ne, omiſſis rebus, quę Diuinæ Maeſtatis gloriam, & Sanctiſſimę Dei Genitricis, aliorumq; Sanctorum venerationem, atq; fidelium pietatem, promouere poſſunt, langueſcant (vt ait Apoſtolus) circa quęſtiones, & pugnas verborum, quæ generant lites, quas nec frequens multitudo intelligit, nec viri ſapientes, qui capiunt, vtiliter percipere poſſunt, & quæ faciunt potius ad quandam doctrinæ oſtentationem, quàm ad vllam populi ædificationem, non abſq; magno auditorũ damno, dũ in rerũ difficiliũ,

& ſubtilium tractatione, vel in controuerſiis, quæ nondum à S. R. E. omnium Eccleſiarum Matre, & veritatis magiſtra, definitæ ſunt, verſantur. Quare cùm de Glorioſæ Virginis Mariæ Conceptione ſermo eis inciderit, nemo, cuiuſcunq; ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis exiſtat, in populari Concione, vel vbicunq; promiſcua virorum, & mulierum multitudo conuenire ſolet, de huius controuerſiæ alterutra parte diſputare, rationibus, vel doctorum authoritate aſſerendo propriam ſententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando, vel de hac ipſa quæſtione cuiuſuis pietatis, aut neceſſitatis prætextu, vulgari ſermone ſcribere, vel dictare præſumat, ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis ipſo facto ſubeundæ, ſi modo fuerit in ſacris conſtitutus, & quocunq; prætereà gradu, ſiue dignitate, vel adminiſtratione fungatur, illis omnibus ſit ipſo iure priuatus, & ad eadem, & ſimilia munera obtinenda, vel obeunda perpetuæ inhabilitatis cenſuræ ipſo etiam facto ſit obnoxius, nec niſi

*Ex Conſtitutione Pij Quinti. Edita 1570. pridie. Calen. Decemb.*

à Sum-

à Summo Pontifice Romano ſuper eis diſſpenſandus, vel abſoluendus.

LICEAT tamen viris doctis in publicis Academiæ diſputationibus, ſiue Generalium, aut Prouincialium Capitulorum, vel vbi aliàs interſunt, qui rem capere poſſunt, nec ſcandali vlla ſubeſt occaſio, hac de quęſtione diſſerere, ſeruatis tamen omnibus, quæ à Sixto IIII. ſuper ea re ſtatuta ſunt, & ad præſcriptum Conſtitutionis Pii V.

*Conc. Triden. ſeſſ. 5. de peccato orig.*

*Extr. Com mu. de Reliq. & Vene. Sanct.*

CVM fides ex auditu concipiatur, nec vlli dubium eſſe poſſit, quin neceſſaria ſit ad æternam ſalutem conſequendam Doctoris legitimi fidelis opera, & miniſterium, diligenti maturitate videndum eſt, quinam hoc tam graue munus concionandi aggrediantur; cum præſertim compertum habeamus, complures interdum huic muneri prædicandi minus aptos, eorum imperitia, vel vitæ turpitudine, potius deſtruere, quàm edificare; propterea ne quis in Diœceſi, nedum in ipſa Vrbe, iniuſſu Ordinarii prædicare præſumat, mãdamus, quòd nullus Parochus in ſua Parochia, vel eius

*Ad Rom cap. 10.*

finibus vllo modo permittat concionari Sacerdotem vllum ſiue Secularem, ſiue Regularem, non exhibita prius ei legitima facultate concionandi ab Ordinario ſcriptis obtenta.

PERACTO munere prædicandi, præſertim tempore Quadrageſimæ, & Aduentus Domini, vnuſquiſq; Concionator Ordinarium adeat, eiq; referat quæcunq; pro ſalute illius Populi, vbi prædicauerit, animaduertenda, & prouidenda eſſe in Domino cenſuerit.

Licèt in Synodo præcedenti facta ſit mentio de Concionatoribus nominandis, eligendiſué à Feudatariis, vniuerſitate, ac hominibus alicuius loci ius ad eligendum, nominandumué, Concionatorem ſe habere exiſtimantibus, tamen cum ad hunc vſq; diem nihil planè certum, aut iure firmatum attulerint, omnes eiuſmodi Concionatoris eligendi facultates hoc Decreto Synodali tolluntur, & improbantur: cum nec iure ipſo, nec vllo Priuilegio innitantur.

Quod ſi quandoq; in eorum gratiam ius hoc

nomi-

nominandi, & eligendi Concionatores aliquibus permiſſum eſſe, appareat, ii per totum menſem Octobris Concionatores nedum nominare, & eligere, debeant, ſed etiam nominatos, & electos Ordinario præſentare; vt de illis periculum fieri poſſit; an ſint ea ſcientia, & illis rebus inſtructi, quibus Concionatoris munus, & partes rectè & diligenter explere poſſint. Quod ſi intra præſcriptum tempus id minimè præſtiterint, vel ad Conciones concipiendas, & eas commodè explicandas minus aptos præſentauerint; alii arbitrio ipſius Ordinarii magis præſtantes, & idonei, eligantur.

## *DE LIBRIS ET Bibliopolis.*

CVM mandato, & iuſſu, Sanctæ Romanæ, & Vniuerſalis, Inquiſitionis ſublata fuerit facultas concedendi Licentias legendi; vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias tam Noui, quàm Veteris Teſtamenti, *Obſeruiat. cir. 4. Regulam Indicis.*

partes, quauis vulgari lingua editas, ac inſuper ſummaria, & compendia, etiam hiſtorica, eorundem Bibliorum, ſeu librorum ſacræ ſcripturæ, quocunq; vulgari idiomate conſcripta, propterea non modò verſiones tam Noui, quàm Veteris Teſtamenti, nemini penitus permittuntur, verùm etiam, vt omnia, & ſingula, in ipſo Indice librorum prohibitorũ iuſſu S.D.N. Clementis Octaui Summi Pontificis nouiſſimè recognito, & publicato, contenta firmiſſimè, & inuiolatè ab omnibus obſeruentur, feriò præcipitur ſub pœnis ibidem inflictis, & aliis arbitrio Ordinarii imponedis.

BIBLIOPOLÆ, qui libros huiuſmodi vendiderint, aut venales habuerint, non modò amittant pretium librorum in vſus pios ab Epiſcopo conuertendum, ſed aliis etiam ſubiiciantur pœnis, eiuſdem Epiſcopi arbitrio pro delicti qualitate infligẽdis.

*Ind. regul. 10.* ILLI verò, qui opuſcula, libros, commentarios, & id genus alia manu ſcripta, cuiuſcunq; ſint tituli, ſiue nominis, diuul-

gaue-

gauerint, antequàm ab Ordinario, vel ab eo Deputatis, ac Inquiſitore recognita, & approbata ſint, iiſdem pœnis ſupponantur, quibus Impreſſores; qui verò eiuſmodi libros manuſcriptos habuerint, & legerint, niſi Authores prodiderint, ipſi pro Authoribus habeantur, iuxta Regulas Indicis prædicti.

OMNES autem librarii, & quicunq; librorum venditores, habeant in ſuis Bibliothecis Indicem librorum ſuorum, quos habent venales ab Ordinario, & Inquiſitore, ſubſcriptum, nec alios præterea libros habeant, aut vendant, aut quacunq; ratione tradant vlli, ſub pœna amiſſionis librorum, & aliis arbitrio Epiſcopi, vel Inquiſitoris, imponendis; emptores verò, lectores item, vel Impreſſores eorundem arbitrio puniantur.

TYPOGRAPHI, & Bibliopolæ coram Epiſcopo, aut Inquiſitore, iureiurando ſpondeant, ſe munus ſuum Catholicè, ſincerè, ac fideliter executuros, & Indicis Decretis, & Regulis, Epiſcopiq; & Inquiſi- *Ind. recog. de Impr. lib. §. 6.*

toris

toris, Edictis, quatenus eorum artē attingunt, obtemperaturos; neq; ad ſuæ artis miniſterium quenquam ſcienter admiſſuros, qui hæretica labe ſit inquinatus.

## DE FESTIS DIEBVS *ritè ſeruandis.*

CVM dierum feſtorum obſeruatio ad Dei cultum maximè pertineat, & non ſolùm iure Canonum, ſummorumq; Pontificum ſanctionibus, & Patrum inſtitutis, legibuſq; Imperatorum, verùm etiam in ipſa lege Diuina præcipiatur, cum ſcriptum ſit, Memento, vt diem ſabbathi ſanctifices, itē, Cuſtodite animas veſtras, & nolite portare pōdera in die ſabbathi nec inferatis per portas Hieruſalem, et Omne opus non facietis, cumq; dies feſti eo nomine inſtituti ſint, vt vtriuſq; ſexus Chriſtifideles in iis præcipuè maiori cum pietate, & religione, verſentur, ad recolenda Diuina beneficia, ad honorem debitum ſanctis impertiendum, & ad eorum vitæ imitatio-

*Exod. 20.*

*Hier. c. 17*

tionem excitandam, ob id omnino tollendi ſunt abuſus, qui ex eorum inobſeruantia inualuerunt; neq; ferendum eſt, vt qui dies propitiationis ſunt, ſanctiſq; rerum officiis conſecrati, ad vllas actiones traducantur, quæ à Chriſtiana pietate longè abſunt.

OMNES igitur dies Dominici, & ſolennitates in honorem Dei, & Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorumq; Apoſtolorum cõſecratæ cum omni veneratione ab omnibus obſeruentur, illę item feſtiuitates, quæ vel ex pręcepto Eccleſiæ, vel ex laudabili conſuetudine ſolenni ritu celebrari conſueuerunt.

OMNES, & ſinguli vtriuſq; ſexus Fideles iis diebus Eccleſias piè frequentent; Diuinis officiis deuotè intendant; ab omni illicito, & ſeruili opere ſe abſtineant.

QVICVNQ. diebus feſtis opus aliquod illicitum feciſſe deprehenſus fuerit, præter Diuinam vltionem, & animalium, quibus vtetur ad vecturam, amiſſionem, iuxta Conſt. fel. rec. Pii V. incurrat etiam gra- *editam 1566. Cal. Aprilis.*

ues pœnas arbitrio Ordinarii irrogandas.

IN Diœceſi autem quicunq; dies feſtos abſq; licentia proprii Parochi, ſiue Vicarii Foranei, quorum conſcientiam oneramus, violare præſumpſerit, perſoluat etiam pro prima vice quartam partem aurei, pro ſecunda mediam, vel grauiorem pœnam ſubeat, iuxta delicti, & perſonæ qualitatem, in manibus Syndici Eccleſiæ illius loci, vbi fuerit facta executio, ſeu Prioris ſocietatis Sanctiſſimi Sacramenti, in vſus pios dictæ Eccleſiæ, ſeu Societatis, conuertendam.

QVOD ſi eam perſoluere renuerit, tandiu is interdicatur ab ingreſſu cuiuſlibet Eccleſię, donec ſatisfeciſſe legitimè conſtiterit.

ET ſi Parochus in exigenda eiuſmodi pœna negligens fuiſſe comperiatur, vel quouis modo remiſiſſe, de proprio teneatur duplum rependere vſibus pariter eiuſdem Eccleſiæ, vel Sanctiſſimi Sacramenti applicandum.

IN die feſto, & ſolenni illius Sancti, Sanctęué,

ué, in cuius honorem erecta eſt Eccleſia, habeatur ſermo à Parocho ad Populum, vel legatur lingua communi de Vita eiuſdem Sancti, aut Sanctæ, inter miſſarum ſolennia antequàm Populus in ea congregatus abſcedat ſub pœna duorum aureorum pro qualibet vice ipſo facto perſoluenda à Parochis contrafacientibus.

NVNQVAM diebus feſtis præſertim illis horis, quibus Diuina celebrantur officia, vel quibus habetur concio, aut de Sancto Vita legitur, vllæ ducantur choreæ, ſaltationeſué fiāt vllę ſub pœna duorū aureorū à ſingulis Cytharedis, necnon à Dominis, vel aliis domum, vel locum præbentibus, aut accommodantibus, perſoluenda, & in vſus pios arbitrio Ordinarii conuertenda: qua non ſoluta, non poſſint abſolui à Confeſſario, nisi ſint ita pauperes, vt ſoluere omninò nequeant, & ſub pœna Interdicti Eccleſiaſtici, ſi qualitas delicti id ipſum requirere videatur. *c. irreligioſa de Conſecra. diſt. 3.*

QVOD ſi quis eò temeritatis euehatur, vt hoc Synodale Decretum obſeruare negli-

gat, Parochus ipſe primo quoq; tempore, litteris Ordinarium commoneſaciat, & delinquentis nomen, & cognomen ad eundem perſcribat, ſub pœna ſuſpenſionis.

HÆC autem Decreta de feſtis ritè ſeruandis edita tum à Parochis, tum à Concionatoribus, vbi habeatur Concio, bis per ſingulos annos publicentur lingua communi, vnà cum Bulla Pii V. legendo §. Cum verò vſq; ad §. Vt Simonia: publicetur item Edictum noſtrum ea in re editum, inter Miſſarum ſolennia ad maiorem Populi frequentiam.

*Pij 5. cōſtit. edita 1566. cal. Apr.*

NE intempeſtiuus campanarum ſonitus aduerſa valetudine laborantibus moleſtiam afferat, morbumq; grauiorem reddat, & ne Ciuitas ipſa ſtridore, & tinnitu minimè neceſſario, atq; admodum importuno offendatur potius, quàm ad pietatem excitetur, id quod ſæpe numero odioſum ſolet eſſe præſertim ſtudioſis omnibus, plurimorum honeſtiſſimæ voluntati, qui nos rogarunt, obſequentes ſancimus, ſtatuimus, & ordinamus, hoc Decreto Synodali, vt

li,vt pro diebus feſtis Sanctorũ Eccleſię titularium, & pro quibuſcunq; ſolennitatibus præcipuis, ſiue maioribus, pro Miſſis item nouis, poſthac campanæ eo moderamine, eauè ratione adhibita, pulſentur in quibuſcunq; Ecclesiis, etiam Regularium vtriuſq; ſexus, vt dumtaxat per triduum ante diem feſtum Sancti, Sanctæuè, in cuius honorem erecta eſt Eccleſia, celebrandum, Miſſæ item nouæ cantandę, pulſando campanas, dentur ſigna ſpiritualis lætitiæ bis per vnamquamq; diem illius tridui, mane videlicet, & in veſperis, & ad qualibet vicẽ per vnius horæ ſpacium, tantùm, nunquam autem nocturno tempore, tranſacta prima noctis hora, ſub pœna duorum aureorũ pro qualibet vice, ſi ſecus factum, ſubeunda.

IN aliis autem diebus feſtis, non tamen ita ſolennibus, pulſari incipiant tantùm in primis verſperis, & per tempus dumtaxat præſcriptum ſub eadem pœna per quoſcunq; contrauenientes perſoluenda, & in vſus pios arbitrio Ordinarii conuertenda.

PO-

ROMA

POSTVLAT ratio æquitatis, vt tam in Vrbe ipſi Eccleſiæ Cathedrali, quàm in Diœceſi Eccleſiæ Matrici honos debitus à cęteris omnibus Ecclesiis, tum Regularium, tum Sęcularium impendatur. Hinc
Seſſ. 11. cum Leo Decimus in Concilio Lateranenſi omnibus, quod ad hoc attinet, abrogatis Priuilegiis, perpetua Conſtitutione inhibuerit, ſub pœna centum aureorum, ne Sabbatho Sãcto, in quibuſuis Ecclesiis etiã Regularium Campanæ ante pulſarentur, quàm in Matrice id præſtitum fuerit, proptereà Nos hanc Sanctionem æquitati maximè conſentaneã in pręſenti Synodo promulgandam duximus; ne quis in poſterum ſe aliquo ignorantiæ prætextu, vel contrariæ forſan conſuetudinis excuſatione tueri poſſit. Quare omnes, & ſingulos Eccleſiarum Præfectos, etiam cuiuſuis ordinis, & congregationis Regulares, monitos eſſe volumus, vt prædictam Sanctionem omninò exequantur: aliàs pœnam in ipſo Concilio ſancitam perſoluere compellentur.

DE

## *DE RELIQVIIS Sanctorum.*

QVONIAM Reliquiarum tranſlationis memoria religiosè ab ipſo penè naſcentis Eccleſiæ primordio inſtituta eſt, & perpetua eiuſdem Eccleſiæ conſuetudine ſæpenumero ſanctè renouata, ideò ſtatuitur, vt quotieſcunq; contigerit vllam de loco ad locum fieri Reliquiarum tranſlationem, pridie tranſlationis Veſperi detur celebrationis ſignificatio, ſolenni campanarum vtriuſq; loci ſono.

IN die tranſlationis à Clero Eccleſiæ, in quã fiet tranſlatio, ieiunium obſeruetur.

NOCTV Arca cum Sacris Sanctorum Reliquiis poſita ſuper Altari, ſi commodè fieri poterit, alioqui in loco decenti, & ornato, adhibitis ad earum venerationem quattuor ſaltem congruis luminibus, ab eodem Clero, aliis item ordinis Eccleſiaſtici hominibus vigilię habeantur; & eadem in Eccleſia ſtatuto tempore Nocturna de Sanctis, quorum fiet tranſlatio, ritè de-

decantentur.

MANE, quo transferuntur, fiat proceſſio generalis, & eadem hora clauſis quibuſcunq; tabernis, & apothecis, vt fieri debet diebus feſtis, nullum opus ſeruile obeatur.

IN ipſa ſolenni proceſſione eatur ad Eccleſiam, in quam fiet tranſlatio, decantando ritè Pſalmos, Hymnos, Cantica, & id genus alia, cantari ſolita.

TRANSFERANTVR incluſæ in Arca, & adhibito Baldachino, ſeu vmbella.

PORTENTVR ordine ab iis Sacerdotibus, qui fuerint in ipſo Clero, & in Eccleſia, in quam transferentur, digniores.

SI Epiſcopus adfuerit, ipſe quoq; in principio, & in fine proceſſionis obeundæ humeros ſacræ Arcę portandæ ſubiiciat paulùm vnà cum Sacerdotibus Cathedralis maiori Dignitate inſignitis.

DIES tranſlationis Reliquiarum in Eccleſia, in qua collocantur, anniuerſario Canonicarum horarum officio quotannis celebretur; In Vrbe verò & in Diœceſi fiat ſal-

ſaltem earum commemoratio.

ATQ. ipſius tranſlationis tabulæ à Notario publicè conficiantur, & in librum in Sacriſtia illius Eccleſiæ perpetuò aſſeruandum referantur; reiq; geſtę monumentum in ære, vel in marmore inciſum in ipſo Reliquiarum loco ad perpetuam rei memoriam aptè collocetur.

QVÆ quidem omnia, & ſingula ritè obſeruata ſunt in ipſa tranſlatione heſterna die facta quattuor Capitum Sanctarum Virginum, & Martyrum vnà cum Arcula Sacrorum oſſium ex illis vndecim millibus, quæ olim cum Diua Vrſula Virgine nobiliſſima, & conſtantiſſima in littore Germanico ad Coloniam Agrippinam vitæ curſum glorioſo martyrio conſummarunt. Harum autem inſignes Reliquiæ annis ſuperioribus eximia, & ſingulari pietate, & religione glo.mem. Alexandri Farneſii Placentię, & Parmę Ducis Tertii, alio rumuè piorum virorũ, vt ex Actis apparet, in hanc Ciuitatem allatæ ſunt. Habitæ ab Eccleſia Colonienſi, accedente publica

authoritate, & Venerabili Patrum Societatis Ieſu Collegio condonatæ, & à nobis pio ritu recognitæ, & approbatæ, ac in huius noſtræ Synodi celebratione, ſolenni proceſſione totius Cleri, frequentiq; Populo proſequente, ab hac noſtra Baſilica in Ædem Diui Petri tranſlatæ, vbi in loculis diſtinctis, & affabrè confectis conditæ in pace requieſcunt.

## DE QVADRAGESIMA.

*D. Hieron. Epiſt. ad Marcellinum.*

EST antiquiſſima, & probatiſſima Quadrageſimæ inſtitutio, ex Apoſtolica traditione ad nos filo continenti, & perpetuo, perducta: Eſt autem Quadrageſimale ieiunium tantò arctiùs ab omni populo fideli obſeruandum, quantò religioſiùs fuit ab ipſo Redemptore noſtro Quadragenaria abſtinentia conſecratum.

LICET ex inueterata conſuetudine in hac Vrbe, & Diœceſi Placentina veſci ouis, & lacticiniis in aliis ieiunii temporibus, ſiue diebus, permiſſum ſit, tempo-

te ta-

re tamẽ Quadrageſimali, ea comedere omninò vetitum eſt, legitimo ceſſante impedimento, prius cognito à proprio Parocho, in Diœceſi, & in Ciuitate etiam ab aliis deputatis, præuia tamẽ, ſi fieri põt, Medici fide.

SERVETVR igitur ab omnibus legitimam excuſationem non habentibus nonmodò ieiunium Quadrageſimale, verùm etiam in qualibet die quattuor temporum, & vigiliarum, reliquiſq; diebus in ſuperiori Synodo expreſſis, ieiunetur.

VT autem faciliùs cuilibet fideli innoteſcat, quid agendum, obſeruandumué ſit, Edictum noſtrum ea in re lingua cõmuni editum inter Miſſarum ſolennia quotannis die Dominico Quinquageſimæ publicetur à Parochis; qui hortentur etiam omnes vtriuſq; ſexus Chriſtifideles ad ſacras cineres ſequenti feria quarta piè & humiliter ſuſcipiendas, earumq; vtilitates ex titulo de Sacramẽtalibus explicare ſtudeant. Deteſtentur etiam eorum ingluuiem, qui tranſacta media nocte ſequentis feriæ tertię cibis prohibitis veſci non erubeſcunt; graue

enim ſcelus eſt, & eius abſolutio Ordinario reſeruatur.

## DE BLASPHEMIS

CVM Blaſphemiæ impietas, & impudentia, eò prolapſa ſit, vt ad eam comprimendam vix ſatis diligentiæ, & operæ adhiberi poſſe videatur, licèt ex Diui Auguſtini teſtimonio, non minùs peccent, qui blaſphemant Chriſtum regnantem in Cęlis, quàm qui crucifixerunt ambulantem in terris, Ideò Parochi omnes, & ſinguli, quorum in primis curæ honos Altiſſimi commiſſus eſt, & animarum ſalus demandata, ſæpenumero diebus præcipuè feſtis tum concionando, tum monendo Populum ab iſto atroci ſcelere deterreāt, & contra quoſcunq; blaſphemos maximè publicos nunquam inclamare deſinant; ne ipſi tanquam muti canes (vt inquit Eſaias) latrare non valentes beſtiis terræ tradantur ad deuorandum. Vt autem magis omnibus Chriſtifidelibus innoteſcat, quàm deteſta-

teſtabile ſit blaſphemiæ vitium, atq; ſcelus, mandamus, vt ſingulis annis diebus præſcriptis in calendario ipſi Parochi inter Miſſarum ſolennia promulgent lingua cõmuni tam Conſtitutionem Pii Quinti contra Blaſphemos fulminatam, quàm ea, quæ per Leonem Decimum in Concilio Lateranenſi decreta ſunt vnà cum Edicto noſtro in idipſum lingua cummuni expreſſo; quæ omnia ad finem harum Conſtitutionum apponi iuſſimus.

*Anno 1566. Cal. Apr. Cõc. Later. ſeſſ. 9. tit. de re for. cur.*

ENVNTIENT pariter Indulgentiã decem annorum ab eodem Leone Decimo in dicto Concilio deferentibus nomina, & cognomina Blaſphemantium, nec non Principibus, Iudicibuſq; eos punientibus, elargitam.

QVIBVS omnibus innixi hac lege Synodali confirmamus, & innouamus, & inuiolatè ab omnibus obſeruari mandamus, quæcunq; in vltima Synodo Placentina eã in re ſancita ſunt.

SERENISSIMVM verò Ducem, & eius Magiſtratum obſecramus per ipſius

Dei Omnipotentis gloriam, quæ maximè hoc nefario, & execrando ſcelere violatur, vt hęc omnia etiam ipſi diligentiſſimè ſeruari ſtudeant, vberrimam piæ curæ à Deo Optimo Maximo mercedem expectantes præter Indulgētiam à Leone Decimo conceſſam.

PVBLICI blaſphemi ſemel ad pœnitentiam, & communionem admiſſi, ſi posteà eos in eodem luto peccatorum hærere cognitum fuerit, non ampliùs ad ſacram communionem recipiantur à Parochis, cu ramué animarū gerentibus, niſi cognita, & perſpecta eorum vitæ, & morum emendatione.

## *DE IVDÆIS.*

*edita 30. Martij 1581.* GRAVIS illa Sanctio, qua ſummus Pontifex Gregorius XIII. Iudęorum blaſphemiis, & flagitiis occurrere voluit, in illis partibus noſtrę Dięceſis, vbi Iudęos habitare permiſſum eſt, quotannis ſæpenumero à Parochis promulgetur; quam etiam

etiam eo nomine in fine Synodi procudi iuſſimus.

ATQ; vt callidæ Hebręorum nequitiæ in dies ſingulos nouas fraudes excogitantium contra puritatem, & veritatem Chriſtianam opportunum remedium adhibeatur, iuxta Conſtitutionē Sanctiſſimi D.N.Clementis Octaui omnibus, & ſingulis Iudęis in Diœceſi noſtra commorantibus inhibetur, ne libros, & indices impios, & vtiq; deteſtabiles, nefarios, & ſæpe damnatos, & prohibitos, opera item, & commentaria, tractatus, & ſcripta quæcunq; tam lingua Hebraica, quàm quouis alio ſermone, conſcripta, impreſſa, vel imprimenda, quibus tacitè, vel expreſsè, errores contra veritatem Catholicam, nec non contumeliæ, impietates, & blaſphemiæ, continentur, quouis quæſito colore, ſeu prætextu, legere, habere, vel retinere, emere, vel vendere, & diuulgare, vllo modo audeant, vel præſumant, ſub pœnis, de quibus in ipſa Conſtitutione, & aliis etiam grauioribus arbitrio Ordinarii infligendis.

*Editam 1593. Prid. Cal. Martij.*

SI quis autem Iudęorum ad fidem Chriſtianam conuerti voluerit, omnia bona ſua habeat; quod ſi filius familiàs ſit, legitima, & quæcunq; alia portio ſibi iure debita à parētibus ipſis omninò perſoluatur, etiam ſi contra eorum voluntatem ad fidē Chriſtianam conuerſus fuerit.

QVOD ſi mulier fuerit, ei dos à marito reſtituatur, vel à patre conſtituatur, vnde ali poſſit, ex præſcripto Conſtitutionis recol. mem. Pauli III. præſertim in iis, quę ille ſtatuit circa facultates, quæ ex vſuris comparatæ ſunt.

*Die 21. Martij. 1542.*

ET quoniam ſcriptum eſt, Qui habuerit ſubſtantiam mundi huius, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in ipſo? omnes & ſingulos Chriſtifideles tam laici, quàm Eccleſiaſtici Ordinis in Domino hortamur, & per viſcera D. N. Ieſu Chriſti obſecramus, vt Iudęis ad fidem noſtram conuerſis, ſi ſint inopes, ac rerum egeni, larga manu ſubuenire meminerint.

## *DE REPARANDJS Eccleſijs.*

VT in ædificiis Eccleſiarum ſartis tectis ſeruandis, & melioribus reddendis, Eccleſiaſticorum hominum negligentiæ, & quorumdam Laicorum auiditati occurratur, cum vſus ipſe demonſtret, Eccleſiarum bona plerũq; à Laicis hominibus poſſideri, & ædificia ſuper illis magno ſumptu exædificata ob negligentiam perſonarum Eccleſiaſticarum interdum corruere, & peſſum ire, mandamus duos, vel ſaltem vnum aliquem peritum, & probum virum Syndicũ quotannis à Capitulo Cathedralis deligi debere, qui præuia Ordinarii confirmatione Eccleſias, domos, & alia quæcunq; ædificia ſuper bonis, Eccleſiarum exiſtentia, vel ad Eccleſias, Hoſpitalia, locaué pia quomodocunq; pertinentia, tam Canonicorum, quàm aliorum huius Vrbis beneficiatorum, locorumué piorum ſæpius inuiſat; Laicos homines ab omni vſurpationis ſorde monendo compe-

ſcat, Eccleſias, earumuę domos, & ædificia omnia quamdiligentiſſimè fieri poterit, ſarta tecta conſeruari, vel etiam meliora reddi, ſeu reparari, curet eorũ ſumptibus, qui beneficia ipſi, locaué pia poſſident, vel ad quos de iure, vel conſuetudine ſpectabit; Hac autem in re huiuſmodi Syndici conſcientiam oneramus, ſi eius culpa, vitioué aliquod detrimentum, aut damnum Eccleſia ipſa, locaué pia patiantur.

VERVM, cum non ſolùm capitis ſaluti ſit conſulendum, ſed reliquis etiam corporis partibus proſpiciendum, in tota Diœceſi Placentina Vicariis Foraneis id negotii damus, vt quotannis ſummo ſtudio, & diligentia pluries viſitent ipſi Eccleſias omnes Vicariatui ſuo ſubiectas, earumué domos Parochiales, & alia quæcunq; ædificia ad Plebes, Eccleſias, beneficia, loca pia, Hoſpitaliaué pertinentia. Et ſi quid in earum ædificiis, tectis, & domibus muniendum, reparandum, reformandumué, cognouerint, id ſtatim ab illis faciendum curent,

qui

qui pro tempore titulis Eccleſiarum, & be
neficiorum, locorumué piorum fuerint
inſigniti, niſi paupertas beneficii, conſue-
tudo, vel aliud quiduis illos excuſet: quo
caſu cogantur ipſi Parochiani, vt etiam
Ædes, in quibus rerum ſacrarum miniſtri
ſolent inhabitare, tutæ, & incolumes cu-
ſtodiantur, & ſarta tecta omnia conſeruen-
tur.

VERVM pro ampliandis, vel reparandis,
reſtaurandiſué Eccleſiis, Parochi minimè
cogantur contribuere, niſi illis remaneant,
aut ſuperſint ſaltem centum aurei. Vltrà
verò centum, res ipſa relinquitur in diſpo-
ſitione iuris communis, vel approbatæ
conſuetudinis.

CÆTERA ad Dei cultum ſpectantia in Cõc. Trid.
Eccleſiis quibuſcumq; quomodolibet exẽ- ſeſſ. 7. de reform. c.
ptis, nec non beneficiis tàm curatis, quàm 8. & 21. de reform.
non curatis, Secularibus, & Regularibus, c. 7.
qualitercunq; commendatis, etiam exem-
ptis, ab Ordinario diligenter prouideãn-
tur; cureturq;, vt opportunis remediis etiã
per ſequeſtrationem fructuum illa, quę re-

nouatione indigent,aut reſtauratione,omninò reficiantur, & alia debita obſequia recte exerceantur.

CVM autem id, quod ſemel Deo conſecratum eſt, ad vſus priuatos hominum minimè transferri debeat, lapides ipſi, cæmenta,tigna, & quæuis materia cuiuſlibet Eccleſiæ dirutæ, collapſæ, ſeu profanatæ,ad ædificium, vſumuè profanũ ne adhibeantur,ſine prçcipuo conceſſu Ordinarii:nunquam tamen in vſum ſordidum conuertãtur.

## *DE IMMVNITATE Eccleſiaſtica.*

NON modò iure Canonum, & Conſtitutionum Pontificalium, præſertimq; vigore Bullæ Gregorii XIIII. recolen. memoriæ, ſed etiam Dei Optimi Maximi præcepto immunitas Eccleſię inſtituta eſt, & ob id vnum ab omnibus quamdiligentiſſimè cuſtodienda. Quare prædictam Bullã inter Miſſarum ſolennia à Parochis

*1591. nono Cal. Iunij.*

per

per ſingulos annos legi, & publicari, mandamus.

CÆTERVM, quemadmodum non debet vllo modo permitti, vt ad Eccleſiam, locauè ſacra, confugienti vis vlla contra ſacras Conſtitutiones inferatur, ita cauendum, ne facinoroſi homines, aliæué perſonæ criminoſæ, in Eccleſiam, quaſi in Aſylum, ſe recipiāt; qua in re ſeruetur omninò Edictum à nobis diebus elapſis contra recipientes in eorum Ecclesiis delinquentes propoſitum, & quotannis publicetur per Parochos ad maiorem Populi frequentiam in eorum Eccleſiis.

CVM autem non ſolùm eodem iure Canonum, & Sacrarum Conſtitutionum authoritate, ſed etiam ipſius Dei ordinatione Eccleſiæ ipſæ, perſonæ Eccleſiaſticæ, & eorum bona, ac prædia, priuilegio libertatis, & immunitatis Eccleſiaſticæ gaudere debeant, nemo vnquā per ſe, vel per alios, directè, vel indirectè iuriſdictonem, vel fructus, & prouentus Eccleſiaſticos, vſurpare audeat, Collectas, Decimas, & alia (*Cōc. Trid. ſeſſ. 25. ca. 20. de refor.*)

onera

onera hominibus Eccleſiaſticis, eorumq;, & Eccleſiarum, ac beneficiorum, bonis, illorumq; fructibus, & prouentibus, imponere, vel ab ipſis exigere, aut ſic impoſita etiam à ſponte dantibus accipere; ſub poenis, & Cenſuris in Bulla Cænę Domini contentis.

§. *Quiue collectas* 18.

ITAQ; Sereniſſimo Duci, ac eius Magiſtratibus, nec non omnibus Feudatariis, Eccleſiaſticas perſonas, & eorum bona, libertatem, commoda, & iura, ſummopere commendamus, admonentes Eccleſiaſticam immunitatem, ſiue ad hominum vitam, ſiue ad bonorum poſſeſſionem, fructuſq; pertineat, Dei ordinatione, ſummorum Pontificum Decretis, & Sanctorum Conciliorum authoritate conſtitutam, nulla ratione violandam eſſe. Neq; enim res Eccleſiaſticas attentare, neq; ſacros, & religioſos, homines ad ſuum iudicium, poteſtatemq; reuocare, neq; bonis Deo addictis manum iniicere, aut vllũ onus, grauamenué, imponere debent. Quare meminerint, quas à Deo facultates ipſi conſequuti

quuti ſunt, eas, ad ipſius Dei gloriam, & honorem, hominumq; ſacrorum ſalutem, & incolumitatem, conferendas; quippè qui pro eorum quiete, ac fęlicitate Deo Optimo Maximo preces aſſiduè faciunt.

## *DE PIA IN ECCLESIIS Conuerſatione.*

INDECENS valdè, & impium eſt, iis, quæ ad Dei honorem, & animarum ſalutem inſtituta ſunt, aliquid, quod eorum repugnet myſteriis, vel ea impediat, immiſceri. Vt igitur Deo Optimo Maximo, Glorioſęq; Virgini, & Sanctis omnibus debitus honos maximè in Eccleſiis deferatur, inhærentes Sacroſanctæ Conſtitutioni Pii V. Pontificis Maximi, ab omnibus ea, quæ ſequuntur, obſeruari præcipimus. *Edit. de anno 1566. Cal. Apr.*

AD Eccleſiam ſit humilis, & deuotus ingreſſus, & in ea ſit quieta conuerſatio.

Deuotis orationibus inſiſtatur.

Genibus flexis Sanctiſſimum adoretur Eucha

riſtiæ

riſtiæ Sacramentum.

Ad nomen Ieſu Chriſti D. N. reuerenter caput inclinetur.

*Decr. Cōc. Trid. ſeſſ. 22. §. Ab Eccleſijs de obſeru. & euit. in celeb. Miſſæ.*

IN Eccleſiis nulla fiat ſeditio, non tumultus, non clamor, non impetus excitetur vllus, ibidem ceſſent quæcunq; vana, fœda, & prophana colloquia.

RISVS item immoderati, & alia omnia, quæ Diuinum officium perturbare poſſunt.

SI quis in Eccleſiis, dum ibi ſacrificium Miſſæ, & Diuina celebrantur Officia, aut dum verbum Dei prædicatur, deambulare, vociferari, aut verſo tergo ad Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum irreuerenter ſedere, aut aliquid, quod ſcandalum generet, aut Diuina interpellet officia, facere præſumpſerit, præter pœnā vigintiquinq; Ducatorum ſubeundam, incidat etiam in pœnas grauiores arbitrio Ordinarii infligendas.

QVICVNQ; in Eccleſiis vſus fuerit obſcęnis, & inhoneſtis verbis, aut ſignis, aut aliàs fœda colloquia cum perſonis quibuſcumq;

cumq; habuerit, pœna decem aureorum mulctetur, aut alia maiori iuxta dictam Conſtitutionem.

CATHEDRALIS, & Collegiatarum, Capitula; ac Parochialium Rectores, Sacriſtæ, & alii ipſarum Cuſtodes, prædictos omnes in Eccleſiis delinquentes moneant, nec in eis vetita fieri permittãt, vel ſaltem eos Ordinario puniendos deferant.

QVOD ſi facere neglexerint, pœnam duorum aureorum pro qualibet vice incurrãt, in vſus pios arbitrio Ordinarii conuertendá iuxta prædictam Conſtitutionem; quam Parochi omnes diebus in calendario præſcriptis populo frequenti, dum Miſſa celebratur, promulgare ſtudeant lingua communi.

ABSIT autem, quòd vllus ſub quouis prętextu ingrediatur Eccleſiam cum canibus venaticis, volucribuſué, vel habens ſclopetos, ſiue tormenta manualia, haſtas, arcus, & id genus alia, ſub pęna excommunicationis, & armorum amiſſionis. Nec Parochi Miſſas celebrare audeant ſub pœna

ſuſpenſionis, niſi eos, qui intulerint ſclopetos., & iſtius generis arma, omninò illa extra Eccleſias ſepoſuiſſe cognouerint.

MENDICI quoq; pauperes in Eccleſiis eleemoſynas minimè quærant tempore, quo Miſſæ, Prædicationes, & alia diuina dicuntur officia, ſed ad fores Eccleſiarum conſiſtant expectantes pias fidelium eleemoſynas, ſub pœna duorum aureorum à Capitulis iuxta ipſam Conſtitutionem pro qualibet vice, niſi eos eiici curauerint, & à Parochis dimidii aurei, ipſo facto ſubeunda, & in vſus pios conuertenda.

RELIGIOSI autem Clauſtrales, ſiue Regulares, in eorum Eccleſiis deputent aliquos, qui iſtiuſmodi mendicantes eiiciant. Quod ſi negligentes fuerint, grauiſſimè ab Ordinario corripientur iuxta eandē Conſtitutionem.

CVM Eccleſia, Domus Dei, Domus orationis ſit, & in ea ſacrificia, & preces Deo offerri debeant, & ſumma veneratione, & cultu ſemper obſeruari; Ideò mandamus, nè in Eccleſiis, earumuė cœmiteriis,

vlla

vlla habeantur conſilia, nec vlli conuentus hominum, neq; fiant proclamationes, non collectæ, taleæué exigantur, nec vlla ludorum genera fiant, reſué aliæ demum peragantur, niſi ad rem Eccleſiaſticam pertinentes, ſub pœna Interdicti.

## *DE VITA, ET HONESTAte Clericorum.*

QVONIAM Sacerdotes in Dei militiam adſcripti ſunt, non ad commoditates, aut voluptates percipiendas, ſed ad labores, & ſolicitudines in Vinea Domini perferendas, nempè ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti, eam omnes, & ſinguli rectè viuendi rationem inire ſtudeant, vt nunquàm ab officio ſuo diſceſſiſſe videantur.

IN omnibus ita ſe gerant, vt cunctis perſpicua modeſtiæ, frugalitatis, & ſanctæ humilitatis, aliarumq; virtutum exempla præbeant.

CVM eos minimè deceat, qui ſe diuinis myſteriis pertractandis addixerunt, negotiis ſecularibus immiſceri, à quibus auaritia, malorum omnium radix, vix vnquam abeſſe poteſt, idcirco ſancimus, ne cuiuis ordinis Eccleſiaſtici poſthàc liceat cōtra Sacrorum Canonum formam negotia ſecularia pertractare, & præcipuè prædia ruſtica, ſiue Eccleſiaſtica, ſiue laica illa fuerint, conducere, ſine Epiſcopi licentia in ſcriptis obtinenda; ſi quis verò aliter feciſſe repertus fuerit, is ſtatim aureorum centum pœnam locis piis Ordinarii arbitrio applicandorum ſe nouerit incurriſſe.

VT in hac Sacroſancta Dei Eccleſia inſint omnia ritè ordinata, ſingula diſtincta, & cuncta interiùs, & exteriùs pietatem, & deuotionem planè redoleant, Sacerdotes, qui in ſortem Domini ad eiuſdem Eccleſiæ decus, & ornamentum, vocati ſunt, decet aliquo ſingulari ſigno à reliquis hominibus eſſe diſtinctos. Omnes igitur Clerici non ſolùm in ſacris, & in minoribus conſtituti, & clericali tantùm tonſura inſigniti,

nedum

nedum beneficia Eccleſiaſtica, qualiacunq; etiam ſimplicia, obtinentes, verùm etiam penſiones ex quacunq; cõceſſione, vel diſpenſatione Apoſtolica percipientes, quantumuis exempti ſint, & quouis priuilegio, vel immunitate, gaudeant, ipſi, & quilibet eorum, omninò tonſuram, & habitum clericalem, veſtes ſcilicet talares, iugiter deferant, ſub pœna iuxta Conſtitutionem recolen. mem. Sixti Quinti impoſita: Cuius quidem Conſtitutionis exemplum, ne quis illius ignorantia ſe valeat excuſare; ad finem horum Decretorum deſcribi iuſſimus. *Edit. 1588 V. Idus Ianuarij.*

VT aũt veſtibus nõ debēt vti nimiùm exquiſitis, ita nec ſordidis, ſed ordini ſuo cõgruis.

NON pileis elaboratis, vel acu depictis, vt vulgò dicitur, inzipatis, vel recamatis, nec aliis, niſi in caſibus in ſuperiori Synodo expreſſis.

ANNVLVM ferant tantùm in Dignitate conſtituti, & tunc vnicum: Nunquam autem in Sãctiſſimo Miſſæ Sacrificio. Alius præterea nemo vtatur, ſub pœna aureorum

rũ decem, & annuli amiſſionis in vſus pios conuertenda.

NEMO prorſus audeat portare in itinere tormenta manualia, longa, vel breuia, vulgò Archibuſios, cuiuſcumq; generis, ſub pœna aureorum centum, & aliis arbitrio Ordinarii irrogandis, & piis locis applicandis.

*Cap. Clericis de vita & honeſt. cler. capit. clerici 23. diſtinc.*

CORONAM, ſeu tonſuram, omninò perpetuò ferant latam, & conſpicuam.

CORONA Sacerdotum non excedat hoſtiæ communis latitudinem; inferiorum autem Clericorum paulò ſit contractior.

NVLLVS omninò Clericus in poſterum ferat capillos, niſi æquè omni ex parte præciſos, non autem calamiſtratos.

## *DE CLERO.*

CVM interdum euenire ſoleat, vt Clerus Vrbanus, nõ adhibito Diœceſano, congregatus aliqua decernat, quæ etiam pertinent ad Eccleſias vniuerſæ Diœceſis, non ſine graui præiudicio, vel incommodo abſen-

ſentium, propereà, vt communi eorum vtilitati conſulatur, hoc Decreto Synodali ſtatuitur, vt Clerici Diœceſani, cum primùm ad Synodum Diœceſanam acceſſerint, vnanimi ſententia deputent duos Ordinis Eccleſiaſtici homines, qui eorum nomine Clero ipſi Vrbano, & Congregationibus interdum habendis, intereſſe poſſint.

QVOD ſi alter eorum antequàm Synodus proximè futura habeatur, obierit, vel abfuerit, tota facultas in ſuperſtite remanſiſſe intelligatur.

SI verò vterq; moriatur, vel abſit, eo in caſu duo nomine Cleri Diœceſani ab Ordinario deputentur, donec Synodus proximè tunc cogenda celebretur.

TENEATVR autem Clerus Ciuitatis, antequàm congregetur, ſemper præmonere Electos à Clero Diœceſano, vt & ipſi interuenire poſſint; alioqui quidquid tunc actum, decretumué fuerit, in ea Congregatione, nullum detrimentum Clero ipſi Diœceſano afferre poſſe declaratur.

VNVS-

VNVSQVISQ; Deputatus eos, à quibus ipſe deputatus erit, admoneat de re tota, quæ fuerit in Clero proximè tractanda, vt omnes, & ſinguli eò, re priùs intellecta, parati poſſint accedere.

VERVM in abſoluendis quibuſcunq; negotiis in ipſo Clericali Conuentu proponendis, re priùs per rationes vtrinq; allatas exactè, & maturè perpenſa, ſemper tacita ſuffragia, etiam nemine contradicente, adhibeātur, vt author contradictionis penitus ignoretur, & occaſio ſimultatum, & inimicitiarum, quæ plerunq; ſuboriuntur, de medio tollatur: aliàs irritum, & inane ſit, quidquid ſecus actum fuerit.

## *DE CAPITVLO CATHEdralis, & Collegiatarum.*

AD amouendas quaſcunq; controuerſias, quæ in Capitulis interdum exoriuntur in decidendis quibuſcunq; rebus, & negotiis, occulta perpetuò ſuffragia, etiam nemi-

nemine diſſentiente, adhibeantur, vt omnis vociferandi, & altercandi, tollatur occaſio: quod ſi ſecùs factum fuerit, irritum, & inane declaratur, quidquid in eo cõuentu Capitulari actum fuerit.

NEMO vnquam loqui audeat, niſi loco ſuo; ignorans tamen, vel errans, remq; ipſam, de qua agitur, non intelligens, obiter poſſit interpellari, & edoceri.

QVOTIESCVNQ; de particulari alterius Canonici cauſa, negotioué, agendum erit, is omninò exeat extra Capitulum, donec in cõſeſſu Capitulari de ea re fuerit deliberatum. Id quod etiam omninò obſeruari mandamus in omnibus Piorum locorum Congregationibus.

POSTEAQVAM experientia ipſa, fida rerum magiſtra, compertum eſt, ſæpenumero ratione pecuniarum à Capitulis ipſis, Collegiatiſué Eccleſiis mutuò datarum, oriri non modò animorum offenſiones, lites, & controuerſias, ſed etiam non mediocria plerunq; Eccleſiis ipſis damna, vel incommoda, inferri, hinc Nos ſalutari

hoc Decreto expreſsè inhibemus,ne de cętero Capitulum tam noſtræ Cathedralis, quàm aliarum quaruncunq; Collegiatarum,audeat,vel pręſumat alicui cuiuſcũq; ordinis Eccleſiaſtici, aliiſué quibuſcunq; perſonis vllam prorſus pecuniæ ſummam, etiam minimam mutuò dare, ſiue ad Capitula, ſiue ad Præbendas quaſcunq; pertineat,ſub pœna interdicti ipſo facto ſubeundi, aliiſué arbitratu noſtro iniungendis.

QVONIAM abuſu quodam introductum eſt, vt nedum in Cathedrali, ſed etiam in aliis Collegiatis Eccleſiis, interdum Conuentus Capitularis extra ordinẽ habeatur, in quo paucis ex induſtria conuocatis Canonicis, propriam magis voluntatem, quàm ipſam rationem ſequentibus,magna animi noſtri moleſtia intelligimus, quandoq; illa conſtitui, & agi, quæ, cum Canonicis non conſonent Inſtitutis, non minùs Eccleſiæ, quàm multorum damno, & fraudi eſſe ſolent, hinc Nos, vt aliqua ſalubri cautione tollatur abuſus, quotieſcunq; contigerit Capitulum ipſius Cathedra-

dralis, vel cuiuſcunq; alterius Collegiatæ, conuocari alia die, quàm ex laudabili Patrum ritu inſtituta, & in eo non fuerit ſaltem maior pars Capituli legitimè congregati, quidquid in eo ordinatum, ſeu tractatum fuerit, hac lege Synodali decernimus, & declaramus fore nullum, irritum, & inane.

VT negligentiæ, vel malitiæ Clericorum, qui horas Canonicas, quas debent dicere minimè recitant, occurratur, non modò id, quod in præcedenti Synodo ex Concilio Lateranenſi iuſſum eſt, obſeruetur ab his, qui Eccleſiaſtica beneficia obtinent, & horas Canonicas recitare tenentur, verùm etiam id, quod ex Pii Quinti Conſtitutione eadem in re euidentiùs, & expreſſiùs prouiſum, & ſtatutum eſt. Quam quidem Conſtitutionem quotannis in Capitulo Cathedralis, & Collegiatarũ, in quibus diſtributiones quotidianæ inſtitutę ſunt, legi mandamus in Octaua Natiuitatis Domini Noſtri à prandio pleno Capitulo, vocatis, & præſentibus ibidem Manſionariis,

*Editam 1571. 12 Calē. Oct.*

Præbendariis, & aliis quibuſcunque Beneficiatis.

TABELLÆ, qnibus cõtinetur ratio recitandi Diuinum Officium iuxta ritum Eccleſiæ Placentinæ, non ante deferantur ad Ordinarium ſubſcribendæ, quàm à duobus ex Capitulo Cathedralis Eccleſiæ eligendis viſæ, & examinatæ fuerint.

## *DE PAROCHIS.*

CVM ſit Cura animarum peruigil, oneroſa, & ſolicita cuſtodia animarum, commiſſa alicui, vt curet, ne pereant, ſed ſaluentur, & ſit ars artium, & onus Angelicis humeris formidandum, Rectores Parochialium Eccleſiarum, quibus gregem ſuũ Dominus commiſit, oportet eſſe peruigiles, & in omnibus ſe ipſos præbere exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, grauitate, & ſolicitudine. Vt autem faciliùs, & feliciùs, adiuuante Domino, munus ſuum exequi valeant, præter ea, quæ variis Conſtitutionum titulis, aliiſ-

*Paul. ad Tit. 1.*

aliiſué Decretis Synodalibus, & pręſertim Concil. Trident. ſancita ſunt, hæc etiam magna adhibita diligentia, obſeruare ſtudeant.

VT fidelis populus ad ſuſcipienda Sacramēta maiori cum reuerentia, atq; animi deuotione, accedat, ſinguli Parochi priùs illorum vim, & vſum pro ſuſcipientium captu piè, & prudenter, etiam lingua communi explicare, nec non inter Miſſarum ſolennia ſacra eloquia, & ſalutis monita, explanare meminerint. Cōc. Trid. ſeſſ. 24. c. 7 de reform.

ATQ; lecto Offertorio, quod recitatur in Miſſa diebus feſtis, ſolennibuſq; ſermonem ad populum habeant, non omnes tamen, ſed eruditi, & idonei. Cæteri autem, qui in ſacrarum rerum tractatione non ſatis verſati ſunt, (ne res, quæ grauiter, & prudenter tractari debet, culpa, vel inſcitia, miniſtrorum, minùs idoneorum vileſcat) legant partem aliquam ex Catechiſmo, vel Homil. lingua communi expreſſam, vel de alicuius Sancti, Sanctęué geſtis aliquid recitēt ex libro, ſibi præſcripto.

PO-

*Ex eod. Conc. ſeſſ. 25. de delect. cib.*

POSTEA voce clara, & intelligibili denũtient dies feſtos Vigilias, & Ieiunia hebdomadæ ſequentis, & illa ſedulò fidelibus commendent, omniq; diligentia vtantur, vt iis præcipuè ſint obſequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, quæué faciunt ad pietatem augendam, & ad deuotam, & religioſam dierum feſtorum celebrationem: Moneantq; ad illorum obſeruantiam teneri omnes ſub pœna peccati mortalis, niſi legitima cauſa excuſentur.

POSTREMO ſi res ita poſtulauerit, ex antiqua; & laudabili conſuetudine, recipiant oblationes Populi ad Altare conſiſtentes, nunquam per eccleſiam procedentes; nec tunc offerant populo Reliquias vllas Sanctorum deoſculandas: Minuſq; clericos, alioſué ad exigendum eiuſmodi oblationes ſubſtituant, ſupponantué.

IN Cathedrali autem, & Collegiatis denuntientur dies feſti Vigiliæ item, & Ieiunia, per parochũ, ſiue curatorem, in prima miſſa ſummo mane celebrari ſolita, & in miſ-

ſa Conuentuali, decantato Offertorio.

NVLLVS Confeſſarius, et Regularis, audeat illos, qui nec confeſſi, nec communicati fuerint in Paſchate, abſoluere, niſi obtenta priùs in ſcriptis licentia à proprio eorum Parocho, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto ſubeundæ.

PORRO cum limitata cauſa limitatũ pariat effectum, de cætero caueant Viceparochi, ſiue Coadiutores, & alii Confeſſarii tam Seculares, quàm Regulares ad audiendas confeſſiones, exercendamuè animarũ Curam in aliquo peculiari loco deputati, ne Sacramentum Pœnitentiæ extra locum eis commiſſum miniſtrare audeat, ſub pœna ſuſpenſionis.

VBI contigerit Medicum ad infirmos euocari, in primis moneat ipſos, vt idoneo Cõfeſſori peccata ſua confiteantur iuxta ritũ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ; neq; illos tertio die inuiſat ſub pœnis in Conſtitut. Pii V. contentis, niſi iuſta de cauſa, iudicio Confeſſoris, ſpacium longius ad Confeſſionem faciendam preſcriptum eſſe cognouerit,

vel

vel per fidem ipſius Confeſſoris ſcripto factam eidem conſtiterit, infirmos peccata ſua cõfeſſos. Quam quidem Conſtitutionem per Parochos quotannis inter Miſſarum ſolennia, cum maior adeſt populi frequentia, communi lingua publicari mandamus.

*Editum die 8. Martij. 1566.*

POSTHAC nullus Sacerdos Secularis, ſiue etiam Regularis, in Vrbe, vel in Diœceſi, audeat manus energumenis imponere, officiiué exorciſmorum in eos exercere, niſi fuerit ab Ordinario nominatim deputatus, nec niſi in loco, lociſué ab eodem præſcribendis, ſub pœna ſuſpenſionis à Diuinis ipſo facto ſubeundæ, aliiſué eiuſdem arbitrio infligendis.

ETSI aliàs prudenter inhibitum eſt, ne Adoleſcentulæ, aliæue mulieres certis anni tẽporibus, ſacras, prophanaſué cantiones cõcinendo per vicos, & plateas prodeant, Diœceſimué perluſtrent, eleemoſynam etiam eccleſiarum nomine quæritãtes, aut colligentes, ſub pœna excommunicationis; tamen, vt iſtiuſmodi corruptela, quæ ad-

huc

huc in ipſa Diœceſi in pleriſq; locis viget, penitus aboleatur, à Parochis denuntientur etiam interdictæ ingreſſu Eccleſiæ. Quo decreto eos quoq;, qui id mandauerint, & puellas, mulieresuè ipſas aſſociauerint, comprehenſos eſſe, declaramus.

PLVRIES ſingulis annis Parochi doceant Populum vim, & effectum Excommunicationis illius, quæ maior appellatur; quippe quæ ſit Cenſura eccleſiaſtica priuans excommunicatum communione, ſeu participatione Sacramentorum, & hominum; ita vt excommunicatus nequeat accipere, neq; miniſtrare Sacramenta: excludatur à ſuffragiis generalibus Eccleſiæ; à Diuinis item officiis, aliiſue precibus ſimul faciendis, vel audiendis.

PRIVETVR item ſepultura Eccleſiaſtica.

EXPLICENT demum, ſiue iuſta, ſiue iniuſta ſit, ſemper eſſe timendam Excommunicationem.

VNOQVOQ; triennio Parochi omnes Vrbani teneantur nomina, & cognomina, in eorum eccleſiis Baptizatorum, quiuè

matrimonia contraxerunt; Defunctorum item, in libris ſeparatim, & diſtinctè deſcripta, & de verbo ad verbum deſumpta ex libris originalibus, quos penes ſe diligentiſſimè cuſtodire debent, deferre ad Ordinarium. Diœceſani autem Rectores ſinguli ad Vicarium Foraneum, cui ſubiiciuntur: Qui quidem libri ab eodem ſedulò cuſtodiantur, donec ad Ordinarium primo quoq; tempore tranſmittantur perpetuò aſſeruandi in Archiuio Epiſcopali.

QVONIAM ex ſummorum Pontificum Reſcriptis, eorumuè Conſtitutionibus accurata ſolicitudine in hoc Paſtorali Officio laborare, & eniti debemus, vt non modò peſtilens hæreſum morbus in gregem nobis commiſſum nuſquàm irrepat, ſed etiã omnis planè ſuſpicio quamlongiſsimè abſit, propterea Parochi omnes inuigilent, an in eorum Parochiis inſint ulli homines prauis opinionibus imbuti, ſeu Hæretici, vel eo nomine ſuſpecti, aut quouis modo à fide Catholica aberrantes, qui verba hęreticalia protulerint, aut qui libros hęreticos,

ſcri-

ſcriptaué prohibita legant, vel apud ſe habeant, Sortilegi item, Coniectores, Arioli, Magi, & quicunq; Diuinatores, Lamiæ ité, & aliæ facinoroſæ mulieres ſeductæ, vel potiùs deceptæ illuſionibus, maleficiis, & aliis quibuſcunq; ſuperſtitionibus; ſi quos ineſſe comperierint, ſtatim ſub pœna excommunicationis latę ſententiæ, aliiſué pęnis arbitrio Ordinarii infligendis eorum nomina, & cognomina ad Epiſcopum, vti hęreticæ prauitatis Inqueſitorem Ordinarium, vel ad R. Inquiſitorem, deferant.

MONEANT præctereà ſępenumerò Populum debere omnes, ſi quos nouerint aliqua feciſſe, vel dixiſſe, ob quæ in probabilem ſuſpicionem venerint, eiſdem denuntiare.

PAROCHI omnes, aliiué beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, ſacriſué ordinibus initiati, ſi tranſacto menſe Ianuarii Calendarium ad Eccleſiæ Placentinę vſum typis per ſingulos annos imprimendum penes ſe non habuerint, duorum aureorum pœnam ſubeant iuxta Viſitatoris Apoſto-

lici Decretum perſoluendam.

VNVSQVISQ; Parochus librum præcipuum habeat, in quo ſigillatim deſcribat Parochię ſuę incolas, qui mortem obierint, nec non quæ ſacramenta vnicuiq; eorum miniſtrauerit, & prętereà Commendationis animæ officium, & quo die hæc ſingula præſtiterit, ſub formula in Tit. de Funeribus deſcripta.

DE cætero Parochi omnes, & ſinguli, librũ dumtaxat Ritualem, Sacerdotalemué iuſſu Ordinarii promulgandum habeant; amoto quocunque alio Rituali diſſimili, ac diuerſo.

SI interdum Parochus ad comprimenda maiorem in modum peccata, nomen alicuius cõcubinarii, vel cuiuſuis alterius grauis, & ſcandaloſi peccatoris, ad Ordinarium detulerit, Ordinariuſq; ipſe cupiens ea de re planè certior fieri, literarum exemplum illius Parochi mittat alicui Vicario Foraneo, ſeu Parocho iniungendo ei, vt ſuper literis prædictis diligenter ſe informet; caueat huiuſmodi Vicarius Foraneus, ſeu

Pa-

Parochus delegatus, ne directè, vel indirectè, nomen illius Parochi deferentis pādat illi concubinario, ſeu peccatori ſcandaloſo, aut cuiuis alii perſonæ, per quam poſſit res ipſa illi innoteſcere. Quod ſi quis eorum contrà fecerit, eum in pænam viginti quinque ducatorum locis piis applicandorum hoc Decreto Synodali incidiſſe declaratur.

QVONIAM complures ſummorū Pontificum Bullę, Ordinationes item, & Decreta Sacroſancti Conc. Trid. ac Synodalia, Edicta item, per annum à Parochis publicāda ſunt ſtatis, & præſcriptis diebus, vt faciliùs omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus hęc innoteſcant, huius Decreti vigore iuſſum eſt in quolibet Calēdario per ſingulos annos in poſterum ad huius Eccleſiæ Placentinæ vſum conficiendo, dies certos, & præſcriptos, quibus ſingula publicentur, apponi: Ac ideo Parochis omnibus, & ſingulis enixè præcipitur, vt pręſtitutis diebus illa publicare omninò debeant, ſub pœna ſuſpenſionis, ac aureorum decem, maio-

maioriué arbitrio Ordinarii irroganda.

PAROCHI omnes, & ſinguli illud etiam obſeruare, & executioni mandare, ſtudeãt, quod infra in Titulo de Conſeruatione bonorum Eccleſiaſticorum cautum eſt, in ʃ. Quoniam eò temeritatis.

QVILIBET Parochus pro Regimine ſuę Eccleſię habeat libros infraſcriptos, vnum, in quo Baptizatorum nomina conſcribat: ad formam traditam in titulo de Baptiſmo.

IN altero, nomina eorum, qui confirmati ſunt iuxta formam præſcriptam in titulo de Confirmatione.

IN tertio, nomina eorum, qui matrimonia contrahunt, ſub forma tradita in titulo de Matrimonio.

IN quarto, nomina mortuorum annotet ad formam præſcriptam in titulo de Funeribus.

IN quinto verò, qui de Statu animarum dicitur, diſtinctè ſcribantur familiæ omnes ipſius Parochię, & nomina ſingulorum ad hanc, quæ ſequitur, formam videlicet.

IN

| | | |
|---|---|---|
| | *IN Caſa di N. d'anni 50. delli N.* | |
| *co. ch.* | *Habita N. ſuo fratello d'anni* | *40* |
| *com.* | *N. ſua figliuola d'anni* | *30* |
| *ch.* | *N. ſuo Seruitore d'anni* | *20* |
| *T* | *N. ſuo figliuolo d'anni* | *10* |
| ✠ | *N. ſua ſerua d'anni* | |

N.N.

QVI ad confeſſionem tenentur ex præcepto Eccleſiæ notentur in margine hoc ſigno Co.

QVI ad communionem ſub hoc ſigno Com.

QVI erunt Confirmati ſub hoc ſigno. Ch.

QVI verò decimum annum exceſſerint, vel attigerint, notentur hoc ſigno .T. vt ſciri poſſit quando ad ætatem ſuſcipiendi Euchariſtiam peruenerint.

QVI vitam cum morte mutabunt, ſignentur hac nota ✠.

QVI è finibus Parochiæ diſceſſerint, eorum nomina notentur linea inducta in hunc modum, N. N.

VT autem de cætero euitentur fraudes, & falſitates, quæ interdum in facienda fide de Natalibus, & Matrimoniis, committi ſo-

lent, facta ex quadam rei facilitate numeri figurarũ immutatione, hoc Synodali Decreto præcipitur omnibus, & ſingulis animarum curam gerentibus, vt poſthàc in annotandis quibuſcunq; nominibus tam Baptizatorum, quàm Matrimonio coniunctorum in libris ad hunc vſum comparatis perſcribatur annus, & dies, quo quis baptizatus erit, & matrimonio iunctus, literis diſtinctis, & in longum extenſis, non autem notis, ſeu figuris numerorum, ſub pœna aureorum decem.

## *DE CONGREGATIONIBVS. Caſuum Conſcientiæ.*

CVM grauiter per Oſeam comminetur Dominus Sacerdotibus, Quia tu ſcientiã repuliſti, & ego te repellam, ne Sacerdotio fungaris mihi, rationem aliquam ineundam duximus, vt & in Vrbe, & in Diœceſi noſtra ſacerdotum Cõuentus habeantur, in quibus animarum curæ Præfecti de iis rebus agant, ac ſtudiosè pertractent, quę

ad

ad eorum miniſterium rectè, & laudabiliter exercendum pertinent: & Parochi, ac reliqui Sacerdotes, qui in Republica Christiana docendi munus ſuſtinent, & aliorum Duces ad cæleſtem patriam eſſe debent, ea planiùs cognita, & perſpecta habeant, quibus curæ eorum commendatos à peccatorum vinculis, & à rerũ per fraudem contractarum nexibus expedire valeant.

HOC igitur Decreto ſancimus, vt ſacerdotes Vrbani, quibus animarum cura imminet, ſingulis mẽſibus ſtato die à nobis præſcribendo, in Ædes Epiſcopales cõueniant, & adhibito diligenti ſtudio circa Caſus conſcientiæ, quos huic rei Præfectus diſcutiendos, & examinandos propoſuerit, parati pro viribus accedant ad eorum explicationem: Habeant ſinguli ſchedulam ſua manu ſcriptã, & ſignatã, quę Deciſionem, & Reſponſionem ratione aliqua, vel authoritate munitam propoſitis Caſibus accommodatam contineat: quam peracto, & abſoluto Clericali Conuentu ſinguli poſteà Congregationis Præfecto conſignare de-

beant; vt hac re faciliùs dignoſci poſſit, quinam abſentes fuerint, & qui debitam diligentiam, & ſtudium in conſiderandis Caſibus adhibuerint: & hoc, ne vllus excu ſationẽ illam afferre poſſit, alios, qui priori loco dixerint, ſuam anteuertiſſe, vel anticipaſſe ſententiam.

HIS Vrbanis Congregationibus habendis ille præeſſe intelligatur, qui ab Ordinario pro tempore delectus fuerit.

OPTIMVM autem factu iudicamus, vt in hiſce Conuentibus, & Congregationibus habendis preces illæ ſtatæ in Officio B. Mariæ Virginis ad opem Sancti Spiritus implorandã impreſſæ, omnibus genuflexis, dicantur à Vicario Generali, ſiue ab eo, qui conuentui præerit, antequàm de rebus propoſitis diſceptatio ſuſcipiatur: Quibus dictis ſtatim vnuſquiſq; ad Præfecti nutum dicat, quid ſtudio collegerit, & quid ad rẽ, de qua agetur, pertinere iudicauerit. In fine verò Congregationis antequã Conuentus dimittatur, gratiarum actiones ab eo, cuius munus hoc fuerit, omnibus pari-

riter genuflexis, & piè reſpondentibus, more ſolito recitentur.

VICARII autem Foranei in diœceſi, ſeu Conuentibus habendis Præfecti diligenter curabunt, vt omnes ſacerdotes, & Parochi in ſuo Vicariatu degentes, ſingulis menſibus ſtatis diebus ad eam Eccleſiam, ad quam Vicarius Foraneus, Præfectuſué conuentum indixerit, hora competenti mane conueniant; rem diuinam ſinguli faciant; Officium, & Conuentualem Miſſam pro defunctis illius loci ſoléni ritu decantent. Caſibus poſteà conſcientiæ diſcutiendis, & explicandis inuigilent; ſinguli ſententiam ſuam in ſchedula ſcriptam ratione, vel authoritate aliqua munitam habeant; vt quodnam ſtudium, & diligentiã ad res ſui muneris perueſtigandas adhibuerint, cognoſci poſſit: ipſam deinde ſchedulam ſinguli cum eorum ſententia ſua manu ſignatam apud Congregationis Præfectum relinquant.

NE verò contentio, vel aliqua rixa in dicenda ſententia, & explicatione Caſuum refe-

renda naſcatur, iubeat Congregationis Præfectus eos, qui loco, & beneficio priores erũt, ipſos priori loco expromere, quid de rebus propoſitis ſtudio ſibi dicendum comparauerunt: exinde alios ſuo loco, & ordine in dicenda ſententia ſuccedere; niſi alteri iudicio Præfecti primus locus eſſet concedendus.

DEBEBIT autem Congregationis Præfectus potiorem ſententiam, & Caſuum explicationem allatam, in librum huius rei gratia comparatum referre, & eius exemplum ad Ordinarium, vel ad eum, cui id muneris demandatum fuerit, in Vrbem ſingulis menſibus tranſmittere; vt eorum diligens opera, & ſtudium commendari, vel deſidũ negligentia condemnari poſſit.

QVI Sacerdotes tam Vrbani, quàm Diœceſani cauſa legitima ceſſante per Præfectum probanda huiuſmodi congregationi non interfuerint, dimidii aurei pœnam ſubeant pro qualibet vice, in vſus pios arbitrio Ordinarii conuertendam.

QVOD ſi in his congregationibus, quæ

ſtatis

ſtatis in Diœceſi temporibus habebuntur, aliquis ſcrupulus remanſerit, & dubitatio, quę non omninò declarari, vel tolli potuerit, nodum illum ſoluendum Pręfectus quamprimùm ad Theologum Cathedralis Eccleſiæ, ſeu ad alium ad hoc munus eligendum, diſcutiendum, & declarandum referat.

ANTEQVAM Sacerdotes à Cōuentu diſcedant, Præfectus, ſiue alius, cuius hæ partes fuerint, edat, & proponat publicè Caſus in proximo Conuentu diſcutiendos; vt Sacerdotes omnes eorū exemplum ſecum afferre, & domi poſteà diligenter cōſiderare, & ſtudioſè perquirere poſſint, quæ in congregatione futura pro eorum ſolutione dicenda iudicabunt.

QVONIAM frugalitas in Sacerdotibus ſemper commendata fuit, qui meminiſſe debent, ſe non ventri, non frugibus conſumendis natos eſſe; ſed labori, virtuti, honeſtati, animabus curandis, & populis ſuę fidei creditis ad ſalutis viam verbo, & exēplo dirigendis, & quoad eius fieri poterit,

ad Deum auctorem ſuum, vltimumq́; finem perducendis; idcircò Vicarios Foraneos, & Sacerdotes omnes ad Diœceſanas congregationes conuenientes hoc præcipuè admonitos volumus, vt quando in hiſce conuentibus apud Parochum aliquẽ cibus ſumendus fuerit, modeſtiam omnino pręſeferant, frugalitati ſtudeant, & animo recolant, cibos hominibus à Deo, & à natura conceſſos viuendi cauſa, non autem vitam illis datam eſſe ad comedendum. Quare totum hoc munus Vicariis ipſis Foraneis, aliiſué Præfectis relinquimus; quorum pietate, fide, & modeſtia confidimus, omnia peragenda eſſe, vt Sacerdotes rectis moribus inſtitutos decet; qui Laicis hominibus ad honeſtè viuendum exemplo ſint futuri: & dicente Domino, Vos eſtis ſal terræ, Sacerdotes debent docendo, viuendo, ac orando ad omnem pietatem, & Sanctimonia Dei populum informare, ac præcedendo rectum cæleſtis patriæ tramitem monſtrare. Nec verendũ eſt, (vt in Sacris Canonibus rectè legitur,) quin,

à crapula, & ebrietate Clerici omnes abſtinere, vinòq; ſibi temperare, nec ad bibendum poculis alios inuitare debeant; cum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis præbeat incitamentum.

## DE DISTRIBVTIONIBVS, *Quotidianis.*

NVLLVS omnino Manſionarius, ſiue Præbendarius, vel etiam Canonicus tam Cathedralis, quàm Collegiatarum Eccleſiarum de cetero poſſit vllas percipere diſtributiones, ſeu ad eas admitti, antequàm de eo diligens factum ſit experimentum in Capitulo; & donec à maiori parte Capituli per occulta ſuffragia iudicatus ſit idoneus, conſcientias eorum onerando.

SI quis contra formam præſcriptam admiſſus fuerit, nulla, & irrita ſit ipſa admiſsio.

BENEFICIATI omnes tam Manſionarii, quàm Prębendarii, qui non admiſſi ſunt

ad

ad diſtributionum perceptionem, eò quia non ſunt idonei, punctentur, ſi diuinis non interfuerint; & omninò ſoluant in manibus Syndici, ſiue Theſaurarii Capitularis tantum, quantum alii lucrantur, qui diuinis interſunt; vbi fructus Præbendæ ſuppetant; ſin minus ad ratam fructuum; dūmodò ex fundatione Prębendæ ſuæ teneatur prouiſus inſeruire diuinis.

NVNQVAM liceat cuiquam Canonico ſiue Præbendario à debitoribus Eccleſiæ quidquam, vel minimum exigere, & pro diſtributionibus ſibi debitis retinere: ſed omnia per manum Syndici Capitularis exigantur: qui quidem teneatur æquis portionibus, temporibusq; debitis, pro lucri modo, & pro rata reſidentiæ eas imperti-ri, & diſtribuere. Qua in re ſi quidquam doloſè egiſſe comperiatur, ſeuerè ab Ordinario plectatur; & de proprio teneatur ſoluere iis, quibus erat certa diſtributionis portio perſoluenda.

DVM Canonicus aliquis Epiſcopo Pontificalia munera exercenti, ſeu quiduis aliud,

quod ad Eccleſiæ ſuæ vtilitatem, vel neceſſitatem, ſpectet, in Ciuitate, Diœceſiue obeunti preſtò eſt, aut dum in Cathedrali pœnitentię, vel Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrat, remq; diuinam facit, vel etiam ordinandorum examini intereſt, diſtributiones quotidianas percipiat, & omnibus emolumentis æquè potiatur, ac ſi intereſſet; cum æquum non ſit, aliquem grauiori labore premi, & interim fructibus aliàs ſibi debitis defraudari.

## *DE SACRAMENTIS in Genere.*

POSTHAC nullus omninò admittatur ad vllam Sacramentorum in Vrbe, vel in Diœceſi, adminiſtrationem, niſi habeat fidem, ſiue documentum, de idoneitate, & peritia in exercendo, & adminiſtrando Sacramenta ſubſcriptum manu Parochi alicuius in ſacramentorum adminiſtratione aptè inſtituti, & verſati, ex numero eo-

rum, qui ab Ordinario ad hoc ipſum eligentur.

CLAVES locorum, in quibus venerabile Sacramentum Euchariſtiæ, Olea item Sacra, & Reliquię Sanctorum aſſeruantur, perpetuò apud Parochos, ſiue Viceparochos permaneant, nec vnquam vlli Laico homini, Clericoué in minoribus tantùm conſtituto dentur, dimittanturué, ſub pęna decem aureorum, & aliis arbitrio Ordinarii imponendis.

NVNQVAM Laici, imò nec Clerici minoribus dumtaxat initiati, audeant vllo modo tangere Olea Sacra, nec eorum vaſa, imò nec eorum abſterſoria.

SI Parochus aquam Baptiſmalem, Oleumué Sacrũ, anno nondum expleto, ſibi deficere perſpexerit, tunc vel alterius Parochi Oleo Sacro, Aquaué Baptiſmali, vtatur, vel antequàm, quod ſacratum eſt, totum abſumatur, aliquantulũ aquæ naturalis, oleiué nondum ſacrati infundatur, ita tamen vt pars aquæ naturalis, & ſimplicis, oleiué addita Aquæ Baptiſmali, Oleoué Sacro ſem-

ſemper ſit in multò minori quantitate: illaq; ratio ineatur, potiſſimùm in Olei infuſione, vt id, quod non eſt conſecratum, guttatim ita infundatur, vt ſemper, quod infunditur, minus ſit, quàm, quod eſt conſecratum.

## *DE SACRAMENTO Baptiſmi.*

AD euitandas quarumcunq; mulierum familiaritates, Regulares in quocunq; ordine conſtituti, infantem nullum, nullamué de ſacro fonte ſuſcipiant. Clericis verò Secularibus id minimè liceat abſq; licentia Ordinarii.

*c. placuit il 2. 16. queſtion. 1. ca. peruenit il 1. 18. queſtion. 2. ca. non licet. Abbati de cõſecrat. diſt. 4.*

PAROCHI omnes in libro ad hunc effectùm dumtaxat comparatò nomina baptizatorum, & patrinorũ propria manu deſcribant ſub ea, quæ ſequitur, forma, numeris diſtinctis, & extenſis, non contractis.

*N. Figliolo di N. & di N. iugali nato adi del meſe N. è ſtato battezzato da me N. adi del meſe N. l'anno N.*

*Compadre N. figliolo di N. della Vicinanza di N.*

*Comadre N. figliola di N. ò moglie di N. della vicinanza di N.*

*Et per riſpetto della Dioceſi, dicaſi del luogo di N.*

QVOD ſi infans ex illicita copula procreatus ſit, nomen tantùm ipſius infantis cum nomine & cognomine compatris, & commatris in eodem libro deſcribatur.

AD tollenda iurgia, necnon indignationes multorum, qui forſan Illuſtribus titulis nominari prætendunt, dum in annotatione, & ſcripturis prædictis eorum nomina deſcribuntur, caueant Parochi, ne adhibeant titulum aliquẽ; ſed exprimant tantùm qualitatem, vel dignitatem; veluti ſi eſt Doctor, vel Comes; aut Marchio &c.

VETVS, & approbata; conſuetudo in Diœceſi retineatur, &, vbi ex aliqua parte intermiſſa iaceat, omninò in vſum renocetur, vt Sabbato Sancto, Sabbato item Pentecoſtes frequenti Sacerdotum conuentu, rituq; ſolemni fontis benedictiõ peragatur; atq; ita ad peragendum eiuſmodi officium ſinguli Rectores, quarum-

uis Eccleſiarum, quouis etiam nomine, & titulo inſigniti, ad ſuam quiſque Eccleſiam hora conſtituta conueniant Archipresbyteralem, intra cuius fines ſingulorum Eccleſiæ conſtitutæ ſunt, & benedictioni, & ſanctificationi fontis Baptiſmalis omninò interſint, vt etiam aliàs tùm Decreto Viſit. Apoſtolici, tù Conſtitutione Synodali iuſſum eſt; ſub pęna duorum aureorum in ipſius Eccleſiæ Archipresbyteralis vſum cohuertenda.

NEMO autem ab eo munere ſe immunem, liberumuè eſſe ſibi perſuadeat, niſi expreſsè ex Priuilegio Apoſtolico huiuſmodi immunitas alicui conceſſa fuiſſe cognoſcatur. Quinimò quicunq; prętendunt exemptionem, ſibi vnam ex vicinioribus, quam ſingulis annis præſcripto tempore pro fontis benedictione adeant; omninò infra menſem poſt harum Conſtitutionum publicationé eligant; alioquì ipſo facto Plebs vicinior electa intelligatur.

QVAM immane, & nefarium ſcelus ſit, Puerulos nuper in lucem editos, & annum

nondum natos, imprudentia ſæpe Matrũ & Nutricum, in lecto oppreſſos ſuffocari, quis eſt, qui neſciat? Propterea Parochi ad auertendum hoc facinus indignum in Eccleſiis ſuis ſæpenumero id flagitii publicè deteſtentur, atq; omnes moneant, iuſſuq; noſtro præcipiant, ne vlla Mater in poſterum, Nutrix, aliaué Mulier, quæcunq; illa ſit, infantem vllum, antequàm annum ætatis ſuę integrum expleuerit, in lecto ſecum tenere audeat, niſi adhibitis cunis (vulgò cunetis) ex aſſulis, tabelliſué confectis, vel ciſtella ex virgulis compoſita; cum hac in re non materia, ſed forma, Puerulum ſeruandi gratia, attendatur, præſertim vbi inopia, ac paupertate laboratur; ſub pœna Excommunicationis. Nec abſoluantur, niſi graui, & inſigni pœnitentia impoſita, quæ cęteris exemplo eſſe poſſit, vt omnes in futurum grauiſſimum hoc ſuffocationis periculum caueant.

DE

## DE SACRAMENTO *Confirmationis.*

NE fruſtra Diuinum huius Sacraméti beneficium in Chriſtifideles collatum eſſe videatur, ſumma pietate, & religione ſuſcipiendum eſt. Itaq; quando illud adminiſtrari contigerit, non modò confirmandi, Compatres item, & Commatres, ſed etiã omnes, & ſinguli, qui ſacro illi Myſterio aderunt, ſemotis quibuſcunq; nugis, & tumultibus, piè, & ſanctè Deum precentur, ac ſumma animi attentione ſpectent ea, quæ in religioſa, & ſolenni, huius Myſterii celebratione peraguntur, obſeruatis pręcipuè quibuſcunq; Monitis infra deſcriptis, nedum aliis rebus in ſuperiori Synodo ſancitis.

QVOD ſi minoribus, & adeò paruulis, interdum iudicio Epiſcopi miniſtrabitur, eorum parentes, ſiue curatores Parochus moneat, vt ætate procedente, illos ea de re ſæpius cõmonefaciant, ne parenti-

bus,

bus, ſiue curatoribus poſteà mortuis, ipſi dubitent, an hoc Sacramentum, quod iterari nefas eſt, ſuſceperint.

QVOD ſi quis confirmatum ſe eſſe ignorauerit, aut non meminerit, hac de re certior fieri diligētiſſimè ſtudeat tùm à Parocho, qui Librum cōfirmatorum accuratè inſpiciat, tum à parentibus, aut affinibus, aliiſue, quos id ſcire poſſe exiſtimabit. Si verò nec ab iis aliquid certi intelligere potuerit, tunc, re priùs cum Illuſtriſſimo Epiſcopo communicata, illius conſilium ſequatur.

NVNQVAM alienæ Diœceſis hominibus miniſtretur ſine proprii illorum Epiſcopi licentia, ſcripto conceſſa, niſi de iure exempti ſint, vel ii, qui in hac Diœceſi domicilium iam ſibi conſtituerint.

PVELLÆ, quę habitum Monachalem ſuſcipere voluerint, eo habitu minimè induantur, antequàm hoc Sacramento illiniantur, modò ſuſcipiendi facultas adſit.

SI pueris, puelliſuè, in Baptiſmi Sacramento turpe, & Ethnicum aliquod nomen impoſi-

poſitum fuerit gentilium hominum memoria penitus reiecta, illorum, qui pietatis, religioniſué, ac Chriſtianæ virtutis laude floruerunt, & in Sanctorum numerum relati ſunt, nomen imponatur; ac huius mutationis mentio in Baptizatorum libro aptè loco ſuo deſcribatur.

FORMVLA NOTANDI
nomina Confirmatorum.

*A DI di mille, è ſeicento,*
*Aleſſandro figliuolo de N. & Catherina delli N. della Vicinanza di*
*Fù creſimato da Monſignor N. Veſcouo di Piacenza nella Chieſa di*
*Compadre N. delli N.*
*Commadre N. delli N.*

*DE SACRAMENTO*
*Pœnitentiæ.*

VT Medicus ſtudet ab ægroto cauſas eius infirmitatis intelligere, & opportuna adhibere remedia, maloſq; humores iam

ingeſtos eiicere, & infirmum ab eis, ſimilibuſué præſeruare, ita Sacerdos Confeſſarius in audiendis Confeſſionibus ſumma vtatur diligentia, in ipſis interrogationibus pœnitenti accuratè faciendis; beneuolè, & prudenter, ſcrutetur, & inueſtiget, omnia peccata pœnitentis, maximè mortalia, eorumq; neceſſarias circumſtantias, numerumq; ſaltem veriſimilem, & vt de cætero à peccatorum lapſu caueat, opportuna remedia proponat; inducat pœnitentem, vt omninò proximam peccati occaſionem deſerat, & frequenter vni, & eidem Confeſſario peccata ſua confiteatur, vt ſaltem ob ipſam erubeſcentiam abſtineat à peccatis.

Summa vtatur diligentia circa bonorum Eccleſiæ, Decimarum item, & Legatorum piorum, occupationem, vſurpationem, defraudationem, & quamcunque detentionem, ſeu dilationem, & circa iniunctam rerum reſtitutionem; nec putet vnquam ſe ſatis magnam eis in rebus adhibuiſſe diligentiam.

ET

ET quoniam ſæpenumero in ætate puerili fiunt confeſſiones inualidè, vel quia deeſt contritio; vel quia peccata non integrè Confeſſario exponuntur, cum quis ad ætatem firmiorem, & maturiorem, peruenerit, inducatur ad faciendam generalem ſemel, & præuio diligenti examine, peccatorum in ætate puerili factorum Confeſſionem.

NOVERINT Parochi, etiā ſi multi Caſus in Decretis Synodi ſuperioris dicuntur eſſe reſeruati Epiſcopo, non tamen intelligi reſeruatos, niſi eos, qui in Edicto peculiari; ſeu in Tabella iuſſu Ordinarii edita deſcribuntur.

IN quibus etiam includi volumus Procuratores, qui cum ſcienter cauſam iniquam defenderint, vel quidquam negauerint, quod verum eſſe ſcierint, non ſolùm fori Eccleſiaſtici Auditorio excludendi ſunt, verū etiam non niſi ab Epiſcopo abſoluendi, præuia damni emendatione ex eorum malitia parti aduerſæ illati.

NON audeant Regulares quibuſuis priui-

legiis à ſede Apoſtolica obtentis, præſertim ex eo, quod Mare magnum appellant, abſoluere à Caſibus, quos ſibi reſeruauit Epiſcopus; cum huiuſmodi poteſtatem, & abſoluendi facultatem, eis non conceſſam eſſe ex literis ſacræ Illuſtriſſimorum Cardinalium Congregationis, qui præpoſiti ſunt Decretis Concilii Tridentini interpretandis, pluries declaratum fuerit: quarum literarum tenorem in fine huius Synodi excudi iuſſimus.

CVM verò poſt Synodi huius promulgationẽ, & ante ipſius impreſſionẽ Decretũ ſacræ Congregationis Illuſtriſſimorum Cardinaliũ præpoſitę negotiis Epiſcoporum, & Regularium, de mandato Sanctiſſimi D. N. Clementis Octaui editum acceperimus, quo quidem nouiſſimè cautum eſt, ne Sacerdotes Confeſſarii, ſeculares, vel regulares quoruncunq; Ordinum etiam Mendicantium, Congregationum, ac Societatum, etiam Ieſuitarum, ſub prætextu quorumuis Priuilegiorũ, Indultorum, ſeu Facultatum à ſancta ſede Apoſtolica,

vel

vel eius authoritate, Ordinibus, Congregationibus, Collegiis, vel Societatibus, aut Archiconfraternitatibus Secularium, aut ſingularibus perſonis, ſeu aliàs quomodocunque conceſſarum, ſeu confirmatarum, audeant, vel præſumant de cætero, & in perpetuum abſoluere quenquam cuiuſuis ſtatus, gradus, et conditionis, aut dignitatis tam Eccleſiaſticæ, quàm Secularis, etiam Regiæ, vel Imperialis à Caſibus clarè, vel dubiè in Bulla Cœnæ Domini contentis, vel aliàs quomodocunque Sanctæ Sedi Apoſtolicæ & Ordinario loci reſeruatis, vel reſeruandis, ne in vllo quidem caſu etiam neceſſitatis, vel impedimenti, niſi in mortis articulo, ſeu cum noua, & ſpeciali Sanctitatis ſuę, vel Ordinarii, quoad Caſus ipſi tantùm reſeruatos, reſpectiuè habita in ſcriptis licētia ipſi Ordinario exhibenda, ſub pœna Excommunic. latę ſentētię aliiſuè, de quibus in ipſo Decreto ſubeundis, Propterea ne quis vllo prętextu ignorantiæ poſſit excuſari, neuè abſolutionis beneficiū impendat

dat vlli contra formam præſcriptam, ſed, cum opus fuerit, pœnitentes ad Superiores legitimos Iudices ſuos accedere conſulat, Pœnitenteſque ipſi abſolutionem, ſi quam contra huiuſmodi prohibitionẽ obtinuerint, nullã, nulliuſq; roboris, & momenti eſſe intelligant, eius Decreti exemplum impreſſum, & publicatum ad finem harum Conſtitutionum apponi iuſſimus.

QVONIAM, Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini, ait Dominus, vt omnis auaritiæ ſuſpicio à tanti Sacramenti adminiſtratione procul abſit, nullus omninò Confeſſarius, ne ſub ſpecie quidem eleemoſynæ audeat à pœnitente aliquid tunc temporis directè, vel indirectè petere, nec niſi à ſponte dantibus accipere. Quod ſi ſecus factum fuerit, ſeuerè ab Ordinario puniatur, atq; etiam ab officio audiendi Confeſſiones ſuſpendatur.

SI quis Eccleſiæ ingreſſu interdum publicè interdictus fuerit, eò quia nec confeſſus, nec communicatus in Paſchate fuerit, aliiſué de cauſis, nomen, atq; cogomen ipſius ho-

hominis interdicti, animarum Curator octo dierũ ſpacio ad Parochos Vrbanos, ſi ipſe eſt Vrbanus, ſin Diœceſim incolat, ad Diœceſanos ſuæ Curæ vicinos, tranſmittat; iiq; ſinguli in eorum Eccleſiis primo quoq; currenti Dominico, aut feſto die illum ſic interdictum populo frequenti inter Miſſarum ſolennia denuntient, & prima cuiuſlibet menſis Dominica die iterẽt, donec Interdicto illum ſolutũ eſſe intellexerint. Quod ſi facere omiſerint, pœnã decem aureorum incurrant.

QVOD autẽ de Interdicto Perſonali præſcriptum eſt, idem de excommunicato maiori Excommunicatione obſeruetur.

VBI autem aliquẽ interdictum, aut excommunicatum, à Cenſuris Eccleſiaſticis relaxari iuſſu Ordinarii in ſcriptis exarato cõtigerit, Parochi id ipſum denuntient populo frequenti, vnuſquiſq; in ſua Eccleſia.

ABSOLVANTVR interdicti pœnitentes genuflexi ante fores Eccleſiæ ſub forma abſolutionis ab Excommunicatione maiori, aptè facta verborum immutatione, vt in

Li-

Libro Sacerdotali præſcriptum eſt. Quã quidem formulam ad finem Decretorum Synodalium apponi curauimus.

ET quoniam Parochi præter Tabellam Caſuum Ordinario reſeruatorum, debent etiam literas Proceſſus in die Cœnæ Domini quotannis editas penes ſe habere, vt faciliùs ea, quæ in dictis literis continentur, obſeruare valeant, iuſſimus Capita eiuſmodi literarum ſermone vulgari ſummatim expreſſa ad finem harum Conſtitutionum adiici, & diebus in Calendario præſcriptis publicari.

AD præcidẽdam in poſterum omnem peccãdi, vel potiùs in peccato ipſo perſeuerandi, occaſionem, quod ſine maximo piorum hominum ſcandalo eſſe non poteſt, à ſingulis Confeſſariis hęc cautio eſt adhibenda, vt, ſi quem in aliquo peccato diutiùs perſeueraſſe cognouerint, huic abſolutionis beneficium ſuſpendere aliquãdo expediat; & euſq; differre, quoad eum penitus reſipuiſſe, & ad meliorem frugem rediiſſe, intellexerint. Interim verò id curent, vt

is ſæ-

is ſæpius ad confitendum reuertatur, quo faciliùs re ipſa perſpicere poſſint, an verè peccata deteſtetur, & an certum à peccatis abſtinendi propoſitum, & conſilium, ſuſceperit.

SI quibus in præcedenti Confeſſione, vel aliqua reſtitutio rei alienæ facienda iniuncta fuerit, vel occaſionis incurrendi peccati vitatio impoſita, nec plenè ſatisfecerint, nec ab occaſione illa omninò ſe abduxerint, hi, cum ad Pœnitentiæ Sacramentum redierint, abſolutionis beneficio penitus indigni cenſeantur.

VERVM, ſi quis ſtatus ſui diminutionem excuſare voluerit, quo minùs reſtitutionẽ debitam in pręſentia faciat, ipſe Confeſſarius caueat, ne nimia in eum indulgentia ſuam ipſius animam perdat, & Pœnitentis ſalutem in diſcrimen adducat.

CONFESSARIVS Pœnitentẽ ab alio Confeſſario repulſum ad Pœnitentiæ Sacramentum non facilè recipiat, ſed cauſas diligenter ſciſcitetur, ob quas prior Confeſſarius abſolutionis beneficium illi impede-

re noluerit, & re maturo iudicio conſiderata; & perpenſa illud poſteà peragat, quod pro ſua prudentia faciendum iudicauerit.

SI quis Confeſſarius (quod Deus auertat) cùm vlla fœmina, dum illius confeſſionem audit, quidquam inhoneſtè, turpiterué dixerit, vel vllo modo eius pudicitiam attentauerit, vel laſciuis verbis ei inhoneſta, & fœda dictu quouis modo peragenda ſuaſerit, ſciat ſe acriter pœna temporali puniendum. Si verò ad aliquem turpitudinis actum deuenerit, eum beneficiis, officiisq; & muneribus quibuſcūq; ſtatim ſuſpenſum, & priuatū, ac perpetuo carceri addictum, & mancipatum eſſe volumus, ac declaramus.

OMNIBVS, & ſingulis animarum Curatoribus, Confeſſariis item, ſiue Secularibus, ſiue Regularibus, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, vt antequàm confeſſiones audiant, ſedulò experiantur, an ipſi Pœnitentes ſciant recitare Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam.

cam, Symbolum Apoſtolorum, & Decalogi præcepta; ſi quos rudes, & ignaros offenderint, eos grauiter arguant, & in abſoluendo inter alias ſatisfaciendi pœnitentias, iniungant etiam, vt hæc quatuor fidei Chriſtianæ Capita omninò perdiſcant. Quod ſi admiſſi ad Pœnitentiæ Sacramentum, adhuc tamen perſiſtant in illa rudi, & craſſa ignorantia rerum, quas omnibus ſcire ſummè neceſſarium eſt, eos ſecunda vice minimè abſoluant ſine ſpeciali licentia Ordinarii.

NVLLVS Sacerdos ſiue Secularis, ſiue Regularis, intra annũ Pœnitentię Sacramentum mulieribus energumenis præſumat adminiſtrare, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda, præter eos, qui ab eodem Ordinario ad hoc ipſum delecti fuerint, excepto tamen caſu neceſſitatis.

VT Sacerdotes Confeſſarii in irroganda ſatisfactionis pœna (id quod in Catechiſmo Romano Patres tam piè, quàm prudenter tradiderunt) nihil ſuo arbitratu ſtatuendum ſibi eſſe putent, ſed omnia iuſtitia, *De Sacram. Pœnit. circa finem.*

prudentia, & pietate, ſibi dirigenda exiſtiment, hacq; regula potiſſimùm metiri peccata videantur, & Pœnitentes ipſi ſcelerum ſuorum grauitatē magis agnoſcant, operæpretium erit, interdum eis ſignificare, quæ pœnæ quibuſdam delictis, ex præſcripto Sacrorum Canonum, qui Pœnitentiales vocantur, conſtitutæ ſunt, & aliquando eiſdem explicare, ita poſtulante peccati grauitate, vt quātò in mitigādis Canonum pœnitentiis, nunc ipſi benigniorem in ſe agnoſcunt Eccleſiam, tantò diligentiùs in poſterum à peccatis abſtineant, & præterita vehementiùs defleant. Quod ſanè admonitionis officium Cōfeſſarii non facilè præſtare poterunt, niſi ipſam Canonum cognitionem probè teneant. Itaq;, vt hæc ipſa notitiæ ratio omnibus, & ſingulis Sacerdotibus, qui in audiendis Confeſſionibus verſantur, in promptu commodiùs eſſe poſſit, hos Pœnitentiales Canones in fine harum Conſtitutionum deſcribi, & imprimi, iuſſimus.

PRÆTEREA cum iure Canonum, & De-

cretis Conciliorum generalium, ſacriſq; Summorum Pontificũ ſanctionibus, Cenſuræ, & atrociora quædam, & grauiora crimina, Caſus, nuncupata, partim Summo Pontifici, partim Epiſcopis, in ſua cuiq; Diœceſi tum iure, tum conſuetudine generali reſeruentur, eiuſmodi Caſus in toto iure Canonico, & tam antiquarum, quàm recentium Conſtitutionum congerie diſperſos, inq; diuerſis locis poſitos, in vnum propè faſciculum colligari, & ad communem vtilitatem in fine horum Decretorum typis excudi iuſſimus, notatis etiã locis, vnde ſumpti ſunt, vt omnibus, & ſingulis magis innoteſcant, & Sacerdotes quidem Confeſſarii, tam Regulares, quàm Seculares, ſcire poſſint, quibuſnam propè cancellis eorum authoritas in abſoluendo concludatur, Pœnitentes verò excuſſis, & examinatis conſcientiæ ſuæ latebris, in promptu habeant, quoſnam Medicos ſpirituales pro curandis animmarum ſuarum vulneribus adire debeant.

*Conc. Trid. ſeſſ. 4. capit. 7. de Reſor.*

DE

## *DE SACRAMENTO Euchariſtiæ.*

CVM Euchariſtia à Chriſto Domino inſtituta ſit, ad augendã in nobis gratiam, & diuini amoris ſpiritum fouendum, aliaq; cæleſtia munera nobis impertienda, Parochi ſæpe hortentur fideles, vt frequenter intra anni ſpacium, præſertim in maioribus ſolennitatibus, hoc admirabile Sacramentum ſumant, dicente ipſo Domino, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam ęternam. Moneant, vt quilibet ſe ipſum diligenter probet, antequàm ad Euchariſtiam ſumendã accedat, ne iudicium ſibi manducet non diiudicans corpus Domini. Etenim caro Chriſti verè, realiter, & ſubſtantialiter ſumitur, & ſanguis eius verè, realiter, & ſubſtãtialiter bibitur. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem eſſe neceſſariam, vt nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumuis contritus ſibi eſſe videatur, abſq; præmiſſa Sacramentali confeſſione ad Sacram Euchari-

*Can. & ſi non frequẽtiùs, de conſecr. diſtin. 2.*

*Io. cap. 6.*

*Ad Corint 1.*

*Conc. Trid. ſeſſ. 13. capit. 7.*

riſtiam accedere debeat. quod à Chriſtianis omnibus perpetuò ſeruandum eſſe ſancta Synod. Trid. decreuit.

CÆTERVM omnes, & ſinguli, in ſacris ordinibus conſtituti ſaltē bis in vnoquoq; menſe, in minoribus autem ſemel, ſacram ſumant Euchariſtiam. Quod ſi huic Decreto non paruerint, ſciant ſe grauiter corripiendos, & vti ſacrorū Canonum neglectores puniendos, nec ad alios ordines promouendos, donec Ordinario viſum fuerit.

QVONIAM verò interdū, quò quis maiori eſt inſignitus dignitate, eò minùs proprium Parochum tempore Paſchæ Reſurrectionis agnoſcere curat, ne deprauato iſtiuſmodi exemplo, ſeu potiùs corruptela, puſillus grex à propria Parochia diſcedere præſumat, caueāt Parochi, ne cuiuis in ſpiritualibus ſibi ſubdito licentiam impertiantur ſumendi tunc ſacrā Euchariſtiam alibi, quàm in propria Parochia, niſi priùs Vicarius generalis huiuſmodi facultatem ſcripto concedendā approbauerit.

PA-

PAROCHI omnes, & ſinguli quotannis in ipſo die Paſchatis, ac duobus itidem diebus proximè ſequentibus, ſtudiosè moneant omnes Parochiæ ſuæ incolas, & in legitima ætate conſtitutos, qui ex præcepto Sanctæ Matris Eccleſiæ in Paſcha ſacram communionem ſumere tenentur, & nondum ſumpſerunt, vt intra illam ipſam hebdomadam, aut in proxima Dominica mox ſecutura ritè cõfeſſi ſumant: alioquin omnes, qui ad præſcriptam diem, vel ad ſex tunc dies, ad ſummum, poſt Octauam Paſchæ ſubſecuturos, id non præſtiterint, Eccleſiæ ingreſſu, & Eccleſiaſtica ſepultura (ſi moriantur) interdicti, intra Miſſarum ſolennia denuntiabuntur, valuiſq; Eccleſiæ Parochialis publicè eorum nomina & cognomina affigentur.

SINGVLIS annis Parochi in Octaua Reſurrectionis Domini inter Miſſarũ celebrationẽ præcipiãt omnibus Chriſti fidelibus, qui ſacra cõmunione Paſchali nõdũ refecti ſunt, vt verè pœnitentes, & confeſſi intra ſex dies proximè futuros ſumant; quorum

ſex

ſex dierum duos, pro primo, duos pro ſecundo, & alios duos pro tertio termino peremptorio, & canonica monitione aſſignent ſub pœna Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto ſubeundi; præterea ſic decedentes Eccleſiaſtica careant ſepultura. His tñ exceptis, qui ſacrę cõfeſſionis ob cauſam dilatæ teſtimonium à Cõfeſſario obſignatum proprio Parocho ad dictum tempus detulerint; quorum omnium nomina, & cauſam (ſi extra confeſſionem eam intellexerint) quamprimùm Ordinario denuntient.

MONEMVS autem Parochos, vt interim priuatæ etiam charitatis officium in eos, qui huic Eccleſiæ præcepto non ſatiſfecerint, exercere ſtudeant.

QVOD ſi intra præſcriptum tempus non paruerint, in Miſſarum celebratione ſecũda Dominica Paſchatis publicè denuntient eos ab Eccleſiæ ingreſſu interdictos eſſe, & eorũ nomina, & cognomina valuis Eccleſiæ Parochialis affigant; atq; ad Ordinariũ termino decẽ dierum, ſi in vrbe fue-

rint, ſi in Diœceſi, viginti proximè ſequētiū omninò deferant, ſub pœna ſuſpenſionis, & aliis arbitrio Ordinarii infligendis.

## FORMVLA DENVNTIANDI interdictos.

*D'Ordine, e commiſsione di Monſignor Reuerendiſsimo Veſcouo noſtro di Piacenza, ſi dichiarano Interdetti dall'ingreſſo d'ogni Chieſa, & condennati alla ſepoltura del terrazzo in euento, che morano ſenza euidenti ſegni di penitenza gl'infraſcritti, per non eſſerſi communicati nella Paſqua di reſurrettione di N. S. Gieſù Chriſto proſsima paſſata, come comanda la Santa Madre Chieſa.*

## *DE SACRAMENTO Extremæ vnctionis.*

SACRAMENTVM Extremæ Vnctionis à Domino inſtitutum, à Sancto autem Iacobo promulgatum, hoc nomine appellatur, vel quia datur agentibus in extre-

extremis, vel quòd omnium ſacratum vnctionum, quas ipſe Saluator noſter Eccleſiæ ſuæ commēdauit, vltima adminiſtranda ſit: ſiquidem primùm vngimur Cathecumeni, deinde baptizati, vngimur tertiò, cum confirmamur, demum exceſſuri è vita hanc extremam recipimus Vnctionem.

OBSERVABIT Parochus, vt illo potiſſimùm tempore hāc cæleſtem medicinam ægroto adhibeat, cum graui morbo afflictatur, ac vitæ periculum impēdet, & cum in eo adhuc integra mens, & ratio viget. Conſtat enim ad vberiorē Sacramenti gratiam percipiendā plurimùm valere, ſi ęgrotus Sacro Oleo liniatur, cum fidem, & religioſam animi voluntatem afferre poteſt. Ideò grauiſſimè peccant, qui illud tempus ægrotum vngendi differunt, cum iam omni ſalutis ſpe amiſſa, vita, & ſenſibus, carere incipit.

OMNI ſtudio Parochus curare debet, ne quid in ęgroto adſit, quod Sacramenti gratiam impediat: nihil verò magis aduerſa-

tur, quàm alicuius peccati mortiferi conſcientia. Itaq; ſeruanda eſt perpetua Eccleſiæ conſuetudo, vt ante extremam Vnctionem, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, Sacramentum illi adminiſtretur, ſi per tempus licuerit, & infirmi conditio poſtulauerit; eiq; perſuadere ſtudeat, vt ea fide, & religione, ſe vngendum Sacerdoti præbeat, qua olim, qui ab Apoſtolis ſanandi erant, ſe ipſos conferre conſueuerant, nimirùm, vt intus, & foris (ſi ita Deo viſum erit) ſanetur; neq; dubitare debet, quin Sanctæ illæ, & ſolennes, preces à Deo audiantur, quibus vtitur Sacerdos non ſuam, ſed Eccleſiæ, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, perſonam gerens.

POSTREMO explicandæ erunt ægroto vtilitates, quæ ex hoc Sacramento proueniunt, nempe animam à languore, & infirmitate, quam ex peccatis contraxit, & à cæteris omnibus peccati reliquiis eximi, fideliumq; mentes mortis, & ſcelerum præteritorum timore liberari, pioq;, & ſancto gaudio repleri. Vires prætereà, ac

arma,

arma, ſubminiſtrari, quibus aduerſarii vim & impetum frangere, & illi fortiter repugnare poſſit. Nam ægroti animus erigitur Diuinæ bonitatis ſpe, eaq; confirmatus, morbi incommoda omnia, ipſamq; mortem fert leuiùs, ac Dęmonis calcaneo inſidiantis artificium, & calliditatem, faciliùs eludit. Accedit etiam corporis ſanitas, dummodò profutura ſit. Quare certa ſpe niti debet, ſe huius olei virtute ſpiritualem ſanitatem conſecuturum eſſe, futurumq;, vt, ſi è vita decedere cõtingat, præclarè huius vocis fructum percipiat, quæ ſcriptum eſt, Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

QVEMADMODVM morbo repentino grauiter oppreſſis Extremæ Vnctionis Sacramentum non eſt denegandum, niſi legitimum aliquod impedimentum obſtare videatur, ita quoq; mortiferis vulneribus affectis miniſtrandum eſt, dummodò aliqua pietatis ſigna præſeferant ad hoc ſalutare ſubſidium cõſequendum, licèt verbis exprimere nequeant.

*DE*

## *DE SACRAMENTO Ordinis.*

SI in Veteri teſtamento adeò multa de integritate, & munditia, Sacerdotum, & miniſtrorum Altaris, deq; eorum præſtantia, & dignitate, conſcripta ſunt; vt longum ſit, vel minimam eorum partem recenſere, certè multò maior ratio, & diligentia, nobis adhibenda in promouendis tam inferiorum graduum Clericis, quàm etiam Presbyteris. Atq; pro Paſtorali munere nobis commiſſo circa Ordinandorum natales, ætatem, vitæ, ac morum, probitatem, ſanctitatem; ſcientiam, & alias qualitates iure Sacrorum Canonum, vel Apoſtolicis Conſtitutionibus, Conciliorumuè Generalium Decretis, requiſitas, attentiori cura, & maiori ſtudio etiam ex Conſtitutione S. D. N. Clementis Octaui nouiſſimè edita nobis inuigilandum eſt, vt in Sacra ordinatione, obſeruatis Canonicis Sanctionibus, nemini detur, quantùm Deo adiuuante poterimus, offenſionis occaſio,

*1595. prid. Cal. Mart.*

caſio, ſed perſonæ dumtaxat idoneæ clericali militiæ aſcribantur, & ad minores, maioreſué ordines ritè, & canonicè, promoueantur.

ITAQ; poſthàc nullus omninò induat habitum Clericalē iniuſſu Ordinarii ſub pœnâ excommunicationis, & iacturæ indumentorum Clericalium.

SI quis vnquã ordinatus falſam Parochi atteſtationem circa ætatem exhibere præſumpſerit, tam is, quàm ipſe Parochus falsò ſciēter id atteſtans, præter pœnam falſi, & centum aureorum, ſubeat etiam pœnas iure Canonum, & Sacrarum Conſtitutionum inflictas.

LITTERÆ, quæ Dimiſſoriæ appellantur, ordinandis concedantur, illa adiecta clauſula; vt eis vltra quattuor menſes minimè ſuffragentur, nec vlli vnquam dentur quouis prætextu, niſi præuio diligenti examine ab Examinatoribus ſaltem tribus peracto.

IN inſtrumentis Ordinum Sacrorum apponatur etiam titulus, ad quem fuerit quis ordi-

## DE SACRAMENTO *Ordinis.*

SI in Veteri teſtamento adeò multa de integritate, & munditia, Sacerdotum, & miniſtrorum Altaris, deq; eorum præſtantia, & dignitate, conſcripta ſunt, vt longum ſit, vel minimam eorum partem recenſere, certè multò maior ratio, & diligentia, nobis adhibenda in promouendis tam inferiorum graduum Clericis, quàm etiam Presbyteris. Atq; pro Paſtorali munere nobis commiſſo circa Ordinandorum natales, ætatem, vitæ, ac morum, probitatem, ſanctitatem, ſcientiam, & alias qualitates iure Sacrorum Canonum, vel Apoſtolicis Conſtitutionibus, Conciliorumué Generalium Decretis, requiſitas, attentiori cura, & maiori ſtudio etiam ex Conſtitutione S. D. N. Clementis Octaui
*1595. prid. Cal. Mart.* nouiſſimè edita nobis inuigilandum eſt, vt in Sacra ordinatione, obſeruatis Canonicis Sanctionibus, nemini detur, quantùm Deo adiuuante poterimus, offenſionis occaſio,

caſio, ſed perſonæ dumtaxat idoneæ clericali militiæ aſcribantur, & ad minores, maioreſuè ordines ritè, & canonicè, promoueantur.

ITAQ; poſthàc nullus omninò induat habitum Clericalē iniuſſu Ordinarii ſub pœnā excommunicationis, & iacturæ indumentorum Clericalium.

SI quis vnquā ordinatus falſam Parochi atteſtationem circa ætatem exhibere præſumpſerit, tam is, quàm ipſe Parochus falsò ſciēter id atteſtans, præter pœnam falſi, & centum aureorum, ſubeat etiam pœnas iure Canonum, & Sacrarum Conſtitutionum inflictas.

LITTERÆ, quæ Dimiſſoriæ appellantur, ordinandis concedantur, illa adiecta clauſula; vt eis vltra quattuor menſes minimè ſuffragentur, nec vlli vnquam dentur quouis prætextu, niſi præuio diligenti examine ab Examinatoribus ſaltem tribus peracto.

IN inſtrumentis Ordinum Sacrorum apponatur etiam titulus, ad quem fuerit quis ordi-

ordinatus, nec tantùm in inſtrumẽto Subdiaconatus, vel Diaconatus, verùm etiam Presbiteratus; quando ad titulum Beneficii curati, vel alterius exigentis reſidentiam fuerit promotus; quod ſtatutum eſt, ne quis deinceps Eccleſiam, ad cuius titulum fuerit ordinatus, poſſit inconſulto Ordinario dimittere, & ad Diœceſim aliam diuertere. Quod ſi quis facere pręſumpſerit, pœnã ſuſpenſionis eo ipſo ſubeundam, & alias præterea arbitrio Ordinarii incurrat grauiores.

ET quoniam iuxta Conſtitutionem Pii ſecundi Pontificis maximi, (ad cuius terminos reſtricta, & reducta fuit Bulla Sixti V. per S. D. N. Clementem VIII.) quicunq; Clerici ſine Canonica diſpenſatione extra ſtata tempora, vel ante legitimam ætatem, vel abſq; Dimiſſoriis Ordinarii ſui litteris, ſe ad aliquem Sacrum Ordinem promoueri fecerint, ab ſuorum ordinum, quos ſuſceperint, executione ipſo iure ſuſpenſi sũt, &, ſi ſuſpenſione durãte, illorum ordinum miniſterium, functioneſuè præſtiterint, eo

*De anno 1595. prid. Cal. Mart.*

ipſo Irregularitatis notam cõtrahunt, propterea, ne quis facilè pœnis iure Canonum, & Conſtitutionum illaqueetur, prædicta Conſtitutio Pii ſecundi non ſolùm in Synodo Diœceſana promulgetur, ſed etiam lingua cõmuni perlegatur in Veſperis ante diem Ordinationis; quo die peractis examinibus ordinandi conueniunt in Palatio Epiſcopali, & ſinguli nominatim euocantur.

LEGATVR item Pii V. Conſtitutio contra eos, qui horas Canonicas non recitant, & contra Penſionarios Officiũ Beatæ Mariæ ſemper Virginis minimè recitantes.

NECNON Conſtitutio Sixti V. contra clericos quoſcunq;, etiam primæ Tonſuræ, & Penſionarios Tonſuram, & habitum, non deferentes, euulgetur.

CLERICI Eccleſiæ miniſterium, cui aſcripti ſunt, deſerere non audeant abſque Ordinarii licentia, ſub pœna decem aureorum, & aliis arbitrio eiuſdem pro modo culpæ irrogandis.

QVI autem alicui certæ Eccleſiæ non aſcri-

pti ſunt, in Eccleſiam Parochialem, in cuius finibus degunt, feſtis diebus conueniant, Parochumq; in Diuinis pro virili adiuuent. Quicunq; huic Decreto non obedierint, ſciant ſe ad ordines altiores minimè promouendos, niſi aliter videatur Ordinario.

IN fide facienda de Natalibus Parochi omnes illa, quæ ſequitur, vtantur formula; ſi ſecus concepta fuerit, nulla fides ei prorſus adhibeatur.

## FORMVLA FACIENDI fidem de Natalibus.

*IO N. Rettore, ò Curato della Chieſa Parochiale di S. di Piacenza, ò del luogo di N.*

*Faccio fede come nel libro delli Battezzati, nella ſudetta Chieſa, & deſcritti per il Reuerendo N. ſono gl' infraſcritte parole formali, cauate dal ſudetto libro cioè.*

*Et per fede della verità io antedetto N. ho ſcritto,*

*ſcritto, & ſottoſcritto la preſente di mia mano adi dell'anno mille è ſeicento.*

*Jo antedetto N.*

QVO tempore ſacræ Ordinationes erunt habendæ, qui in vrbe Placentiæ degunt, & ordinibus initiari cupiunt, quandocunq; Epiſcopus ipſam Ordinationem indixerit, hi primis diebus hebdomadæ illius, quæ præcedet ſtata Ordinationis tempora, præſtò ſint, vt de eorum ætate, moribus, ac litterarum, & doctrinæ, peritia, periculum commodè fieri poſſit; Cum ipſam quatuor temporũ hebdomadam Clericis Diœceſanis tantùm examinandis omninò aſſignandam, & concedendam decreuerimus.

CVM ex Sacri Concilii Tridentini decreto ſancitum ſit, vt nullus in poſterùm ad ſacros Ordines promoueatur, qui illi Eccleſiæ, vel loco pio, pro cuius neceſſitate, aut vtilitate, aſſumitur, non aſcribatur, vbi ſuis fungatur muneribus, & Eccleſiaſticas functiones obeat, nec incertis vagetur ſe- *Seſſ. 23. cap. 16. de refor.*

dibus, idq; præcipuè locum in eis habere manifeſtum eſt, qui ad patrimonii, vel penſionis, titulum promouentur (non enim aliter, quàm Epiſcopi iudicio pro ſuarum Eccleſiarum neceſſitate, aut vtilitate aſſumi poſſunt) propterea hoc Synodali Decreto ſancimus, vt poſthàc ad huiuſmodi titulum promouendi non ſolùm certæ Eccleſiæ aſcribantur, verùm etiam, cum ad ordines euehentur, omninò iurent adhibita etiam, Epiſcopi arbitrio, idonea cautione, ſe nunquam, niſi de Epiſcopi licentia, Eccleſiam, cui aſcripti fuerint, deſerturos.

*Editũ die 15. Martij 1596.*

IVXTA verò Apoſtolicum S. D. N. Clementis VIII. Decretum, quod etiam ad finem harum Conſtitutionum deſcribi iuſſimus, enixè inhibemus, ne vllus Regularis cuiuſcunq; ordinis, qui in Conuentu aliquo noſtræ Diœceſis commoretur, ad vllos Ordines extra hanc Diœceſim abſq; licencia Ordinarii promoueri valeat.

NE quis culpa aliqua, impedimentoué, irretitus, ad Sacram Ordinationem impru-

den-

denter, vel malitioſè, accedere audeat, contra quàm iure Sacrorum Canonum, & Conciliorum, præſcriptum eſt, infraſcripta impedimēta ex Sanctionibus Summorum Pontificum, & iure Canonico collecta apponi iuſſimus, vt ea nō ſolùm, quando aliquis Clericali Tonſura initiandus, ſed etiam cum ad Subdiaconatus ordinē promouēdus erit, per Parochos iuxta formā in fine Synodi appoſitā populo diebus feſtis intra Miſſarū ſolennia publicētur; vt, ſi quę ex eis, vel aliis, comperta populus habuerit, quibus promouendi ab Ordinum limine excluduntur, eiſdem Parochis, vel Ordinario, opportuno tempore ſignificet.

## *CANONICIS JMPEDIMENTIS IRRETITI.*

SVSPENSI.
Interdicti.
Irregulares.
Excommunicati maiore Excōmunicatione.
Energumeni.
Morbo caduco laborantes.
Non examinati, nec probati.

Qui

Qui per ſaltũ promoti ſunt.
Quiué ſtatuta temporum interſticia non obſeruarunt.
Amentes.
In ætate legitima non conſtituti.
Non confirmati.
Rudes.
Criminoſi.
Abſtemii.
Solenniter Pœnitẽtes.
Ebrietate fluentes.
Lapſi poſt Ordinem ſuſceptum.
Periuri.
Fęneratores manifeſti.
Infames.
Ratiociniis obligati.
Serui.
Corpore vitiati.
Deformes notabiliter.
Illegitimi.
Peregrini, & ignoti.
Bigami.
Qui Matrimonio coniuncti.
Neophiti.
Qui in bello fuerunt, vbi mors ſequuta.
Qui officiũ iudicis criminalis in foro laicali exercuerunt.
Qui ſentẽtiam capitalem protulerunt.
Quiué dictarunt, aut ſcripſerunt acta, ſententiam, aut Proceſſum, in cauſa criminali, vbi mors ſubſequuta ſit.
Qui exercuerit Officiũ Procuratoris, Aduocati, aut Fiſcalis, ex quo probabiliter contrahi potuerit irregularitas.

DE

# DE MATRIMONIO.

QVONIAM Sacramentum Matrimonii Sancta res eſt, & ſanctè, & piè contrahi debet, propterea illud in primis Parocho curandum eſt, vt qui Sponſi Matrimonio iungendi ſunt, Chriſtianæ doctrinæ rudimenta, quibus ad omnem pietatem homines informari ſolent, probè teneant: Quod ſi experiendo cognouerit eos Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, & Decalogi præcepta penitus ignorare, in Matrimonium iungere non audeat abſq; Ordinarii licentia ſub pœna duorum aureorum pro qualibet vice perſoluenda: volumus autem Decretum hoc ſæpius ſingulis annis à Parochis Populo publicari.

CVRET Parochus inducere ſponſos ad ſumendum Sanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum per triduum ante, quàm Matrimonio coniungantur. Cum enim venerabile ſit Eccleſiæ Sacramentum, debet maxima animi puritate iniri, & celebrari, ne ani

ma

ma ſpirituali gratia defraudetur, proleſq; eiſdem fœcundior, & ad timendum Deum promptior ab ipſo Immortali Domino cōcedatur.

VERVM, vt pernicioſæ corruptelæ admodum inueteratæ, grauiq; peccato, quod hactenus ſæpe commiſſum eſſe intelligimus, pro virili parte noſtra prouideatur; hoc Synodali Decreto inhibetur, ne ante contractum per verba de præſenti Matrimoniū ad præſcriptā Sacri Cōcilii Tridentini, formā ſponſus conſuetudine, commercioué, ſponſæ vti audeat. Quod ſi ſecus factum fuerit, tam ſponſus, quàm ſponſa præter lethalem culpam, eo ipſo ab ingreſſu Eccleſiæ etiam interdicantur, ipſumq; interdictum populo denuncietur, ſeruata forma, & modis in hac eadem Synodo prę ſcriptis.

QVOD ſi apud multos de populo ſermo inrebuerit, ſpōſum vllum cum eius ſponſa contra quàm præſcriptum eſt, non modò cohabitaſſe, ſed etiam coiuiſſe, antequàm matrimoniū inter eos legitime contra-

tractum ſit, idq; Parocho ipſi innotuerit; non audeat Parochus ſine ſpeciali conceſſu generalis Vicarii, eos in Matrimonium coniungere, etiam poſt denunciationes legitimè factas.

SI tranſacto menſe à die vltimæ Denunciationis matrimonii, ſponſi nõ acceſſerint ad Eccleſiam pro celebratione matrimonii ſolenni ritu facienda, nullo modo iungantur, niſi factis iterum, & repetitis eiuſdem Matrimonii denunciationibus, vel iuſſu Ordinarii prætermiſſis. *Decret. generalis Apoſtol. viſitat.*

SCIANT Parochi, vbi ſponſalia, quæ per verba (vt aiunt) de futuro concepta intelliguntur, quacunq; ratione valida non fuerint, non ſubeſſe impedimentum ob iuſtitiam publicæ honeſtatis (cum ex Concilio Tridentino ſublatum ſit) quominùs alicui conſanguineo ſponſi in matrimonio detur illa mulier, cum qua alter conſanguineus ſpõſalia cõtraxerit; vbi autem valida fuerint, primum gradum non excedere; & ita Decretum Concilii Tridentini procedere in ſponſalibus dumtaxat de futuro, nõ au- *Seſſ. 24. de ref. matrim. cap. 3.*

P tem

tem in Matrimoniis per verba de præſenti contractis, non tamen conſummatis, ſed in eis durare adhuc impedimentum in omnibus illis caſibus, & gradibus, quibus in iure veteri ante prædictum Decretũ Concilii interdictum erat: Hocq; ex Conſtitutione Pii V. ſuper declaratione Concilii Tridentini, cuius quidem Conſtitutionis Exemplum in fine prædicti Concilii Trid. eſt excuſſum.

*Ed. anno 1568. Calen. Iulij.*

QVICVNQVE magicis artibus, ſeu maleficiis quibuſcunq; alicuius matrimonii conſummationem impedire tentauerit, is ſciat, ſe iam vinculo Excommunicationis latæ ſententiæ eſſe innodatum; cui quidem cenſuræ ſubduntur etiam illi, qui in diſſoluendis iſtiuſmodi maleficiis vtuntur verbis, vel orationibus improbatis, ſiue potiùs nefariis execrationibus, ſuadentes itẽ, mandantes, vel conſentientes.

LEGANT Parochi ſingulis annis in diebus in Calendario præſcriptis intra Miſſarum ſolennia, quando adeſt maior Populi frequentia, Decretum Concilii Tridentini de

*Seſſ. 24. de refor. c. 1.*

ni de clandeſtinis Matrimoniis.

DECRETVM item de libertate Matrimonii, prout in præcedenti Synodo iuſſum eſt. Quæ quidem Decreta lingua communi expreſſa iuſſimus imprimi, & ad finem harum Conſtitutionum apponi. Seſſ. ead. c. 9.

PAROCHI omnes in libro, in quo matrimonia contracta deſcribuntur, denunciationes itē, & matrimoniorū celebrationes, ea, quæ ſequitur, obſeruata forma, deſcribant.

## FORMVLA DESCRIBENDI matrimonia.

*ADI del meſe di dell'anno ſeicento, Jo N. Rettore della Chieſa Parochiale di Santo N. di Piacenza, ò del luogo di feci la prima publicatione del Matrimonio, che ſi vuole contrahere frà N. Figliuolo di N. delli N. del luogo, ò della Parochia & frà N. figliuola de N. della Parochia, ò luogo.*

*Adi del meſe di feci la ſe-*

*conda publicatione.*

*Adi del meſe di feci la terza publicatione.*

*Adi del meſe di del predetto anno N. non eſſendo inteſo eſſer alcuno impedimento frà li ſudetti, N. & N. Io N. Curato ſudetto congiunſi in matrimonio li ſudetti N. & N. preſenti gl'infraſcritti teſtimonij.*

*N. Figliuolo di N. della Parochia di N. ò del luogo N.*

*Et N. di N. della Parochia N. ò del luogo N.*

QVOD ſi denunciationes, vel aliqua earum ex cauſa ab Ordinario remittantur, eas adſcribat Parochus in eodem libro, & licentias huiuſmodi ſcripto exaratas cuſtodiat ſub pœna arbitrio Ordinarii imponenda.

PVERPERÆ non niſi ad Eccleſiam Parochialem accedant, vt etiam aliàs iuſſum eſt, ipſi Deo poſt emiſſam prolem gratias acturæ, & ab earum dumtaxat Parochis bene-

benedictionem ſuſcepturæ: quòd ſi quis alius ſine conceſſu proprii Parochi eas ſuſceperit, ſiue Regularis, ſiue Secularis ſit, incidat eo ipſo in pœnam ſuſpẽſionis à Diuinis.

NVNQVAM prorſus ad mariti Domũ noua ſponſa temporibus à ſancta Romana Eccleſia vetitis ſolenniter traducatnr, nec illa de cauſa tunc vlla fiant conuiuia, choreæué ducantur. Quòd ſi quis contra hoc Decretum facere præſumpſerit, ſit ipſo facto ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus.

SI ſuper impedimentis Matrimonii diſpenſatum fuerit Authoritate Apoſtolica, maximam adhiberi diligentiam mandamus in hiſce rebus omnibus examinandis, quarũ cauſa ſolui legibus aliquis voluerit; vt ratio certior iniri poſſit, an preces veritate nitantur nec ne; &, qui matrimonium huiuſmodi contrahunt, tuti ſint in cõſcientia.

QVÆ verò denuntiationes Matrimonium

ipſum

ipſum præcedere debent, hæ tribus diebus feſtis proximè ſequentibus non fiant; ſed per aliquod dierum interuallum, ſi aliqua impedimenti ſuſpicio ſubeſſe videatur, vt faciliùs aperiri veritas ipſa, & clariùs internoſci poſſit.

AD tollẽdas omnes occaſiones, quibus odia, iurgia, contentiones plerũq; oriri ſolent, eorũ cauſa, qui nominibus, & titulis illuſtribus, ſeu illuſtrioribus appellari vellẽt, dũ in matrimoniorũ publicationibus eorũ nomina proferuntur, hoc Decreto ſancimus, ne quiuis Parochus Matrimonium aliquod contrahendum publicaturus, quocunq; nomine, titulóue ſponſi cenſeantur, aliam nominis appellationẽ proprio nomini ſimplici ſubiungat, quàm Domini, prætermiſſis omnibus ambitioſis titulis Illuſtris, vel Perilluſtris: poſſit tamen nomini proprio qualitates alias perſonæ, (ſi fortè habeat) ſubiungere, veluti ſi fuerit Iureconſultus, Medicus, Comes, ſiue Marchio.

IN libris verò, in quibus Matrimonia contracta ad perpetuam rei memoriam deſcribi ſo-

bi ſolent, hoc idem ſeruetur in ſcribendis tam contrahentium, quàm teſtium nominibus.

## FORMVLA DENVNTIANDI Matrimonium.

*Si notifica alle Charità voſtre, come N. Figliuolo di N. della Parochia, N. è con l'aiuto, è gratia di Dio per far Matrimonio con N. Figliuola di N. della Parochia noſtra. Però ſe alcuno di voi ſapeſſe, che trà di loro foſſe impedimento alcuno di parentela, ouero di cognatione ſpirituale, che naſce dal Batteſimo, ò dalla Creſima, ò altra prohibitione, ouero impedimento, per il quale non poteſſero inſieme far Matrimonio; venga come è tenuto in conſcienza à notificarlo à me Curato quanto prima; Auertendo, che ſi come ciaſcuno è tenuto notificare l'impedimento, che sà, così deue guardarſi di notificarne alcuno falſamente, che oltra il graue peccato, che commetterebbe, ci è ancora la pena della*

*ſcom-*

*ſcommunica, & queſta è la prima noſtra monitione.*

ITA dicet Parochus ſi fuerit prima denunciatio:

SI fuerit ſecunda, dicet..

*E queſta è la ſeconda noſtra monitione.*

SI fuerit tertia denunciatio, dicet.

*Queſta è l'vltima, e perentoria monitione.*

QVOD ſi aliqua earum remittatur ex cauſis Ordinario approbatis, tunc dicat.

*Queſta è la prima, ò ſeconda, & vltima denonciatione, per tralaſciarſe l'altra d'ordine di Monſignor Reuerendiſſimo Veſcouo.*

## *DE SACRAMENTALIBVS.*

CVM non ſine admiranda Myſteriorum ſignificatione, tam pio, quàm antiquo ſanctæ Matris Eccleſiæ inſtituto, comparatum ſit, vt feſto die Purificationis B. M. ſemper Virginis candelæ, ſeu cærei, & in Dominica Palmarum publicè in Eccleſia Oliuæ, ſeu Palmæ ſolenni ritu benedicātur, & feria quarta Cinerum fideles ſacro cine

re aſ-

re aſpergantur, Parochi illis ipſis ſtatis diebus populo eorum Curæ credito, accuratè explicent Diuina antiquiſſimi inſtituti myſteria, fructuſq; ſalutares.

## EFFECTVS CANDELARVM Benedictarum.

1 Atq; in primis exponant, vt per piã candelarum benedictionem non modò Chriſti Domini noſtri Deitas, ipſiuſq; caro puriſſima, & eiuſdem anima referatur, ſed etiam precatio piè adhibeatur.

2 Vt mentes hominum igne Sancti Spiritus accendantur, illuſtrenturq;, & effugata vitiorum caligine videant, quæcunq; ipſi Deo grata ſunt, & eorum ſaluti vtilia.

3 Vt ex locis, in quibus accenduntur, Dæmon ipſe depellatur.

4 Vt pia inuocatione Sãctiſſimi nominis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & interuentu Beatiſſimæ ſemper Virginis Mariæ, precibuſq; Sãctorum omnium valeant ad vſus hominum, ad ſanitatem corporis, & animæ, ſiue in terra, ſiue in aqua.

## EFFECTVS SACRORVM Cinerum.

Die verò Dominico, qui feriam quartam Cinerum proximè præcedit, vel ipſa die Cinerum, ſi frequens populus adſit, ſtudioſè moneant fideles, quanta animi pietate, & humilitate, quamuè intimo, & contrito, corde ad eam religioſam actionem conueniendum ſit.

1 Vt multis orationibus, quibus vtitur ea in re Eccleſia, excitemur ad peccatorum noſtrorum expiationem.

2 Vt ſacro Cinere aſperſi Diuino protegamur auxilio.

3 Vt in nos deſcendat benedictio Cęleſtis, qua adiuti verè, & intimè peccata noſtra deploremus.

4 Vt detur nobis ſanitas corporis, & animæ, ad pœnitentiam peccatorum peragendam, & conſtanter in bene agendo perſeuerãdũ.

5 Vt deniq; more Sacerdotum, & Leuitarum intra veſtibulum, & altare plorantium, nos ipſi culparum noſtrarum dolore affe-

re affecti emendemus vitam in melius, memores ob hominis peccatum terram fuiſſe maledictam, noſq; omnes ob prauitatis noſtræ meritum in cinerem, & terram reſoluendos.

## EFFECTVS OLIVARVM Benedictarum.

Die autem Dominico Paſcha Reſurrectionis Domini proximè præcedenti itidem ſpirituales fructus exponant ex ſolenni Oliuarum, Palmarumuè benedictione percipiēdos, ſi ea pietatē, qua debent, ac religioſo animo ſuſcipiātur, geſtentur, aſſeruēturq;.

NEC enim ſolùm inſignis ille Domini Noſtri Ieſu Chriſti ingreſſus ad Vrbem Hieroſolymam, & triumphus ille commemorabilis repræſentatur, quem morte deuicta, ſuperatiſq; hoſtibus idem reſurgendo reportauit, verùm etiam ex pia & ſolenni illa benedictione myſteriis ſanè plena à Deo Eccleſia præcipuè deprecatur.

1 Vt opera noſtra inſtar ramorum Oliuæ vi-

rentium omni iuſtitia, ac omni virtute floreant, ferantq; fructus ſalutis æternæ.

2 Vt valeant ad animi, & corporis, protectionem.

3 Vt, ſicuti Populus Hebræorum Chriſto Domino illam Vrbem ingredičti proceſſit obuiam, ita nos ſanctitate officiorum, ac pietate bonorum operum in Cæleſtem patriam, Duce Domino, ſuſcipiamur.

4 Vt, quemadmodum Dominus Noſter Ieſus Chriſtus paſſione, & Cruce ſua, de morte, & mortis Principe triumphauit, ita nos amore Chriſti ad pugnam ſic ardenter inflammemur, vt ſubacto Principe tenebrarum, & proſtratis quibuſcunq; carnis, & rerum caducarum blandimentis, coronam gloriæ conſequamur.

5 Vt demum in quemcunq; locum ſacri Oliuarum rami illati fuerint, illius loci habitatores, omni aduerſitate propulſata, virtute Altiſſimi protegantur.

## EFFECTVS AQVÆ BENEDICTÆ

Cum ex pio, & antiquo Sanctæ Matris Ec-

clesiæ

cleſiæ inſtituto ſingulis diebus Dominicis (Paſchæ, & Pentecoſtes exceptis) aqua ſale aſperſa ritu ſolenni, precibuſq; præſcriptis in Cathedrali, Collegiatis, & Parochialibus Eccleſiis renouari debeat, & ea benedicta ante Miſſę ſolennis, Parochialiſq; initium Sacerdos celebraturus Alba, & ſtola, indutus Altare, ſeipſum, Clerum, & Populum præſentem, aſpergat, non ab re fuerit, interdum à Parochis inter Miſſarum ſolennia huius piæ inſtitutionis, ac religioſæ actionis vires, & effectus, explicare. *Durant. lib. 4 cap. 4. Rat. diui. Offic.*

1 Nam in primis, ſi cinis vitulæ aſperſus populum ſanctificabat, certè multò magis aqua ſale aſperſa, diuiniſq; precibus ſacrata, Populum Chriſtianum mundat, purificat, & à culpis ſaltem venialibus abluit. *Hebreo. 9.*

2 Deinde ſi ſale aſperſa per Heliſæum ſterilitas aquæ ſanata eſt, multò vehementiùs ſal ipſe diuina precatione ſacratus aufert rerum humanarum ſterilitatem, purgat item, & bonorũ affert multiplicationem. *3. Reg. 2.*

3 Prætereà ſicut ſanguis agni à priſco illo populo

pulo Hebræorum, ad repellendum percuſſorem poſtibus eorum adhibeatur, ita per aquæ benedictæ aſperſionem ſathanæ hoſtis humani generis infeſtiſſimi inſidiæ auertuntur, & fugãtur, omniſq; ſpirituum immundorum malicia tam de habitaculis, quàm de fidelium cordibus, arcetur, & propellitur.

4 Deniq; cum ſepties in die cadat iuſtus, & per Ezechielem dictum ſit, Aſpergam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immundiciis veſtris, ideò populus fidelis Eccleſiam ingrediens, & Diuinis rebus inſiſtere intendens aqua ſanctificata aſpergitur, vt quotidiani defectus, & culpæ eluuantur.

*Ezechiel 36.*

*Prouerb. 24.*

QVARE, cum Aqua ſale admixto Benedicta telũ ſit acerrimum ad fugandos Dæmones, curet vnuſquiſq; Chriſtifidelis tum ad honorem Dei, tum ad animæ, corporiſq; ſui vtilitatem, piè, & religioſè eam domi aſſeruare, & in cubiculis adhibere.

DE

# DE SANCTISSIMO *Miſſæ ſacrificio.*

CVM inter omnia opera, quæ à Chriſti Domini Sacerdotibus in eius Eccleſia peraguntur, nullũ aliud ſit, quòd cæteris Diuinitate, & ſanctitate antecellat magis, quàm incruentum illud ſacrificium, quod quotidie in Altari tã pro viuis, quàm pro defunctis, Deo Optimo Maximo offertur, omni intimo cordis affectu, & pietate hortamur in Domino Sacerdotes, vt viuificam illã Hoſtiam immolaturi omnem operam, & diligentiã in eo ponãt, vt quàm maxima fieri poteſt, interiori cordis munditia, & pietate tam magnum myſterium exequantur; ſi enim mundi olim eſſe iubebantur, qui Domini vaſa ferebant, quanta putamus eos puritate fulgere oportere, qui nunc mundiſſimam Chriſti carnẽ, & Deo optimo maximo offerunt, & ipſi ſumunt, & aliis ſumendam porrigunt? videant igitur Sacerdotes antequàm tremendum illud myſterium aggrediantur (quod non

alibi fieri debet, quàm in Eccleſiis, & Oratoriis ab Ordinario deſignatis) vt ſuā conſcientiā primò diligenter examinēt; deinde ſi conſcii ſibi fuerint, aliquod mortale peccatum à ſe commiſſum eſſe, vel ſaltem de
1.Cor. capit.11. eo dubitauerint, iuxta Apoſtoli præceptū, & ſacros Canones, ritè ſe ipſi probantes illud confeſſione expiēt, & poſtremò Miſſam celebrent.

CELEBRATVRI verò, vbi facta priùs breui ſaltem oratione, ſacris veſtibus ſe induerint, cum aliis ne colloquantur; Miſſamq; prælegant, notentq; ſingulas partes, ne, vbi ad Altare acceſſerint, tempus in earum inquiſitione conterant. Prætereà, vt vaſa, calices, corporalia, pallæ, mappæ, ſacræ veſtes, aliaq; ad Miſsā neceſſaria, mūda, & nitida ſint, diligens cura adhibeatur.

QVI per annum tenentur celebrare Miſſas feriales in aliqua Eccleſia, nec adhuc dies certos elegerunt, ipſi omninò eligant per totum menſem Ianuarium proximè venturum; alioqui electio ipſa certorum dierum hoc Synodali Decreto ſpectare ad parochum

chum illiùs Eccleſiæ declaratur.

QVI debent celebrare Miſſas in aliqua Eccleſia, illas omninò ibidem per ſe ipſos celebrent, legitimo ceſſante impedimento, ſi ex fundatione Præbendæ, vel ex conſuetudine hoc onus eis iniunctum eſt; ſin minùs illas per ſubſtitutũ curent celebrandas.

VT autem planũ fieri poſſit, an re vera celebrauerint, ſeriò præcipitur, vt in quauis ſacriſtia Eccleſiæ, vbi plures Miſſæ quotidie celebrari ſolent, adſit libellus ad hoc ipsũ cõparandus; in quo ſua manu is, qui celebrauerit, propriũ nomen, cognomen, atq; cauſam, (nẽpe an ex deuotione, vel obligatione, celebratione) exarare teneatur.

NEC ante Miſſæ celebrationẽ aliquis nomen ſuum annotare audeat; aliàs proinde habeatur, ac ſi non celebraſſet, aliiſué pœnis arbitrio Ordinarii puniatur.

QVI verò pro alio celebrabit, ſuum item nomen in eundem librum, & pro quo celebrauerit, pariter ſua manu referat.

QVOD ſi quis proprium nomen ibi adno-

taſſe eo die reperiatur, in quo re vera non celebrauerit, pœna falſi ipſo facto incurrenda, aliiſué pœnis, Ordinarii arbitrio afficiatur.

## *DE PROCESSIONIBVS*

AD amouendas omnes contentiones, & lites, ac ne in ipſo actu non ſine graui ſcandalo proceſſio turbetur, deſcribantur ordine in ſchedula per deputandum ab Ordinario omnes tam Laicorum Confraternitates, Religioſi,& Clerus, quàm etiam alii, qui proceſſioni intereſſe debent; & iuxta debitum ordinem in rotulo deſcriptum Proceſſio dirigatur, & progrediatur.

Ad publicas Proceſſiones vocati accedãt omnes,etiam exempti tam Clerici Seculares, quàm Regulares, quicunq; etiam Monachi; iis tantùm exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuò viuunt, iuxtà Concilii Tridentini diſpoſitionem. *Seſſ. 25. capit. 13.*

PROCESSIONVM inſtitutionem, & cauſam

ſam Parochi omnes in ſingulis eorum Ecclesiis, Concionatores item, opportuno tẽpore populo explicare ſtudeant.

PROCESSIONES in Litaniis minoribus tã in Diœceſi, quàm in vrbe habeantur quotannis ad præſcriptum ſacrorũ Canonum, ſtatis tãtùm illis tribus diebus ante Aſcenſionem Domini; abrogata quacunq; alia conſuetudine; & ſeruatis ad vnguem quibuſcunq; in ſuperiori Synodo ſancitis.

IN Proceſſione ſolenni, in qua Sanctiſſimum Corpus Domini per Vrbem ſingulis annis prima quinta feria poſt Octauam Pentecoſtes, & in Octaua eiuſdem Corporis Domini religioſo cultu, & pio Patrum inſtituto circunfertur, tam vniuerſæ Confraternitates, & Congregationes Laicorum, quàm totus Clerus Secularis, & Regularis, in Cathedralem conueniant Eccleſiam, ad horam illis ab Ordinario præſcribendam.

NON liceat vnquàm quibuſcunq; Regularibus, Confraternitatibuſué, ſiue etiam Laicorum Vniuerſitatibus, ſe ſe in via im-

miſcere Proceſſioni; vnde totius ferè Proceſſionis ordo, & progreſſus, non ſine omnium incommodo turbari, vel ſaltem Proceſſio ipſa iam inchoata retardari ſolet; dũ ſerò venientes, & per vias publicas percurrentes ad proprium locum peruenire contendunt; & hoc ſub pœna aureorum decem per contrauenientes ipſo facto incurrenda, & in vſus pios arbitrio Ordinarii conuertenda.

PRÆFECTI quoq; Collegiatarum accedant ſub eorum Cruce, ſuis vnuſquiſq; aſſociatus Beneficiatis, Clericiſué adſcriptis, ſub pœna decem aureorum in vſus pios conuertenda.

RECTORES item omnes, cuiuſcunq; ſint Dignitatis, vnà cum eorum Congregatione ſub Cruce ſuá perſonaliter eant, legitimo ceſſante impedimento, ſub pœna vnius aurei ſacriſtiæ Congregationis Rectorum applicanda.

PVERI, Puellæué ſeculares nullo modo ad quaſcunq; Proceſſiones interuenire audeant, niſi ferant, & induant habitum

eorum ſexui conſentaneũ, ſub pœna amiſ- ſionis indumentorum, & Eccleſiaſtici In- terdicti.

IN Proceſſionibus publicis fieri prohibẽtur ſpectacula cuiuſuis generis iniuſſu Ordi- narij; liceat tamen Pueris, Puelliſué Socie- tatis Doctrinæ Chriſtianæ ſimplicem ad- hibere Repræſentationem, & Angelos, vel Sanctos referre, dummodò non vtantur ſacris veſtibus: liceat item deferre myſte- ria Dominicæ Paſſionis, nempe Crucem, Lanceam, & ſimilia.

IN Diœceſi quoq; Rectores omnes, & ſin- guli in ſolennitate Corporis Domini vnà cum eorum Populo ad Eccleſiam conue- niant Archipresbyteralẽ, cui ſubiiciuntur, etiam ſi in eorum Parochiis erecta ſit ſo- cietas Sanctiſſimi Sacramenti; vt ab omni- bus pro Sanctiſſimo Sacramẽto maiori pie tate, & religione, & frequentiori Popu- lorum concurſu Proceſſio habeatur; ſub pœna vnius aurei pro quolibet contraue- niente, in vſum Eccleſiæ Archipresbyte- ralis cõuertenda, niſi Rectores à Plebe ipſa

ita

ita diſtent, vt conuenire minimè valeant.

VT verò tam excelſam, & glorioſam ſolennitatem deuotæ Turbæ fideliū maiori pietate colant, & maiori ſtudio ad Eccleſias concurrant, & tam Clerici, quàm Populi gaudentes in cantica laudum ſurgant, & feſtum ipſum ab omnibus religioſiùs, & alacriùs celebretur, Parochi omnes tam Vrbani, quàm Diœceſani in Dominica ſolennitatem Corporis Domini præcedente, ſalutaribus monitis ſolicitè hortentur Populum ad Confeſſionem, & Communionem, Eleemosynarum largitionem, ad attentas, & ſedulas orationes, & ad alia deuotionis, & pietatis opera, ad conſequendas Indulgentias à Sūmis Pontificibus Romanis eo nomine elargitas, publicando etiā Decretum Synodale aliàs ea in re editum, & iuſſu noſtrò lingua cōmuni expreſſum.

## *DE LVDI MAGISTRIS.*

QVI erudiunt pueros, quorum tener animus, ac ætas, quocunq; ducas, flexibilis

lis eſt, hi non minùs fide ſint, & vita, quàm doctrina, ſcientiaq; commendati. Nec eos vnquam, libros pueris interpretentur, qui in Indice prohibentur, vel ab illis legi patiantur, ſed neq; alios, qui rebus obſcœnis, & turpibus reſperſi ſunt, ſiue latino illi ſermone, ſiue Italico conſcripti ſint. Si enim iuxtà Apoſtolum, corrumpunt bonos mores, colloquia mala; multò magis Chriſtianæ vitæ puritati pernicioſum eſt, ſi ex huiuſmodi libris tenera adhuc ætas imbibere aſſueſcat; ſi ſecùs fecerint, pœnis in Indice librorum prohibitorũ ſtatutis, aliiſué arbitrio Ordinarii irrogandis ſubiaceant. In primis autem præcipimus, atq; per viſcera Ieſu Chriſti D.N. obſecramus, vt eos bonis moribus, ac ſalutaribus monitis, præceptiſq; imbuant, nec non in doctrina, & religione Chriſtiana exerceant, cæteraq; in eos officia præſtent, quæ iuſſu Leonis X. in Conc. Lateranenſi præſcripta ſunt.

LITTERARVM profeſſores ſiue Clerici, ſiue laici, puellarumué Inſtitutrices,

ſiue

ſiue magiſtræ, caueant, ne quo tempore vacandum eſt Doctrinæ Chriſtianæ, pueros, puellaſué vllo prætextu impediant, diſtineantué, quo minùs Scholis doctrinæ Chriſtianæ intereſſe poſſint; immò potiùs eoſdẽ diſcipulos aut ipſi ad doctrinæ Chriſtianæ ſcholas conducant, aut eis iubeant, vt ad illas frequentes conueniant. Quod ſi ipſos ab hoc tam pio, tamq; ſalutari officio auertere auſi fuerint ſtatim docendi munus illis interdicatur.

NEC ad Pueros tam priuatim, quàm publicè erudiendos admittantur, niſi priùs eos Orthodoxæ fidei profeſſionem emiſiſſe conſtiterit; qui verò ad hanc vſq; diem non præſtiterunt, omninò intra duos menſes ab editione harum Conſtitutionum incipiendos, emittere teneantur; iuxtà Conſtitutionem felicis recordationis Papæ Pii IIII. Qua in re Parochi diligenter inquirant, an intra eorum Parochiæ limites magiſtri Gramaticam, aliaſué artes ingenuas priuatim, aut publicè docturi, etiam ſi domi alienæ viuant, aut gratis eas doceant,

*1564. Ibidem Nouembris.*

habi-

habitatum venerint;cumq́;primùm id ſciuerint, eis interdicant, ne quem priùs docere incipiant, quàm profeſſionem fidei in manibus Ordinarii emiſerint; ſtatimq́; eorum nomina, & cognomina, & patriam ad eundem deferant, vt cùm eis ad fidei profeſſionem emittendam agere, & anteactæ vitæ eorũ rationem, moreſq́; perquirere valeat; neq; id docendi munus ab eis exerceri patiantur, niſi præſcripto ab eodem Ordinario teſtimonio certiores ſint facti, eos fidei profeſſionem emiſiſſe.

## DE FVNERIBVS,

### *Et Officijs defunctorum.*

IN obeundis quibuſcunq; funeribus nullus vnquam alium pro ſe mittat, vt ipſe poſtmodum aſſequatur eleemoſynam;nec admittatur ad vllã ipſius eleemoſynæ portionem, niſi ipſe inuitatus, qui re ipſa interſit, ſub pœna amiſſionis ipſius eleemoſynæ, & vlteriùs, vnius aurei ipſo facto perſoluendi, & locis piis applicandi.

AD horam præſcriptam accedant inuitati ad funus obeundum. Quodſi vlli Confratres, ſeu Diſciplinati ad funus vocati venire diſtulerint, tunc defuncti Parochus vnà cùm illis, qui ad horam ſtatam conuenerint ad ſepeliendum vita functum progrediatur. Nec illis, qui hora conſtituta non acceſſerint, vlla illius funeris aſſignetur eleemosyna.

PORRO nullus, cuiuſcunq; ſit dignitatis, audeat vnquàm deferre ex loco, vbi cadauer reperitur, ipſum cauſa ſepeliendi extra Parochiam abſq; interuétu proprii Parochi, vel alterius ab eo ſubſtituti, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ.

AD tollendas lites, & cõtrouerſias, quę plerunq; oriri conſueuerunt, ſi quis moriatur in Parochia Cathedralis Eccleſiæ, vel Sancti Antonini, aut Sancti Ioannis Euangeliſtæ de Domo, qui quidem mortuus ſepeliendus ſit in aliqua ex ipſis Parochiis, hæredes defuncti, ſi velint euocare Capitulum propriæ Parochiæ, inuitent etiam Capitulum Eccleſiæ, in qua defunctus hu-

mandus erit, & tunc in obeunda funebri proceſſione Capitulum alterū alteri præferatur iuxta laudabilem conſuetudinem.
QVOD ſi hæredes defuncti non Capitula, ſed tantùm certum numerum Sacerdotum ad eiuſmodi funus inuitare maluerint, ſeruetur illa laudabilis conſuetudo, quā etiam hac lege Synodali obſeruari mandamus; nempe, vt Parochus defuncti mediam partem Sacerdotum, & Rector item Eccleſiæ, in qua defunctus erit ſepeliendus, alteram dimidiam ad funus ipſum vocare debeat. Ac cum Sacerdotes ſic euocati accedant, non vti Capitulum, ſed tanquàm ſimplices Beneficiati, in eiuſmodi proceſſione obeunda præferantur ſemper Beneficiati Cathedralis aliis quibuſcunq; ſecundum locum teneant Beneficiati Eccleſiæ Sancti Antonini; ità tamen vt primum locum ſemper habeat Parochus defuncti, ſecundum autem ille, in cuius Eccleſia humandus erit ipſe defunctus, prælata Cruce Parochiali, excepta Cruce Cathedralis Anteſignana; reſpectu aliarum

 ſer-

ſeruetur ipſa conſuetudo.

OCCISORVM cadauera, ac repentè mortuorum, ignotorum item, & huius generis aliorum, de quibus probabilis eſt ſuſpicio; in Paſcha non fuiſſe confeſſos, nec in Eccleſiis, nec in Cœmeteriis, ſepeliantur; niſi authentico priùs documento ipſi Ordinario cōſtiterit, eos Eccleſiæ præcepto de confitēdo ſaltē ſemel in anno fideliter obtēperaſſe. Caueant autē Curati, vel quiuis alii Confeſſarii, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio ne dictis, ſcriptiſuè hoc atteſtentur; niſi re vera; vel eos ad Confeſſiones admiſerint, vel aliàs de eorum licentia ſibi conſtiterit; fuiſſe confeſſos.

IN Parochiali tantū Eccleſia ſepeliatur mortuus; niſi in alia Eccleſia iam fundatam habeat ſepulturam, vel niſi in teſtamento, vel in infirmitate; qua etiam perierit, eam coram teſtibus canonicè elegerit.

MORTVO filio pater non poſſit eligere ſepulturam in fraudem ipſius Parochi, ad hoc, vt filius in eā ſepeliatur, niſi per menſem ante, quàm obierit filius, patrem

ipſum

ipſum eam elegiſſe conſtet. Quod ſi poſt mortem filii elegiſſe deprehendatur, omnia intortitia, totumq; ipſius funeris emolumẽtum ad proprium Parochum ſpectare hac lege Synodali declaratur.

NVNQVAM in Oratoriis confraternitatum, Eccleſiſuè Monialium cadauera ſepeliantur, ne Conſodalium quidem iniuſſu Ordinarii. Quod ſi interdum Confratribus dumtaxat ius ſepulturæ concedatur, id tamen conceſſum intelligatur, ſeruato ſemper omni iure, & emolumento totius cæræ in funere ipſo accenſæ, & circa cadauer accendẽdæ proprio Parocho ipſius defuncti in eiuſmodi Eccleſiis, vel Oratoriis ſepeliendi.

QVOTIESCVNQ; in eiuſmodi Oratoriis funera, vel anniuerſaria, aliauè diuina officia, vel ſolennitates dierum feſtorum celebrari contigerit, Diſciplinati ipſi præter Cappellanum eis aſſignatum, teneantur etiam inuitare Parochum, intra cuius limites erectum habent Oratorium ſub pœna interdicti.

NVN-

NVNQVAM. in diſponendis, ordinandiſué iis rebus, quæ ſpectant ad funera defunctorum, ſe interponant, immiſceantué, Diſciplinati; ſed onus illud totũ relinquatur Sacriſtæ, vel Parocho defunctorum.

RECTORES Vrbani ſinguli Calendis menſium ex veteri eorum, & approbata conſuetudine, quæ etiam hac Conſtitutione communitur, officia, ſeu anniuerſaria celebrare non omittant, illaq; hora competenti: nunquam tamen mane ante primam diei horam in Eccleſia, ad quam ſolent cõuenire, celebrentur. Nec veſpertinum officium pro defunctis ipſo mane vnquam recitetur, ſed illud dicatur veſperi præcedente in Eccleſia, vbi cõuentus habetur, vel ſaltem in eorum Eccleſijs.

DVM proceſſionaliter ad celebranda eiuſmodi officia, ſiue anniuerſaria proficiſcuntur, dumq; reuertuntur, omnes ſimiliter in via piè, & religiosè concinant, ſiue recitent pſalmos graduales.

VT tollatur omninò abuſus, qui in Vrbe, & præſertim in Diœceſi inoleuit, quo in deferen-

ren-

rendis cadaueribus fidelium defunctorum ad Eccleſias, aliiſué proceſſionibus obeundis, adhibentur homines laicales ad deferẽdam Crucem, hoc Decreto ſtatuitur, vt clericus tantùm cum veſte talari, ac bireto clericali, & ſuperpelliceo adhibeatur, & in Diœceſi ſaltem ſuperpelliceo indutus ad ferendã crucẽ, ſub pœna excommunicationis, aliiſué arbitrio Ordinarii imponendis. Nam ſi in deferendis militiæ inſignibus milites tantũ adhibentur, quantò magis in portandis inſignibus Eccleſiaſticis clericus tantùm admittendus?

IN Diœceſi ipſa celebratis officiis, ſeu Anniuerſariis, nunquam ſub pœna ſuſpenſionis Clerici cibum capiant in Caupona, neq; in Eccleſia, Cœmeterioué, neq; in domo Hæredum defuncti, ſed in domo Parochi ſumant ea charitate, & modeſtia, quæ decet homines Eccleſiaſticos.

ABSOLVTO prandio, ſiue ientaculo, inter ſe conferãt ea, quæ ad boni Paſtoris Officium, curamué animarum rectè gerendam attinent, vel aliquam partem Cate-

chiſmi

chiſmi legant, vel Caſus conſcientiæ explicent, ita tamen, vt ſemper in Conuentu, ſiue Congregatione præcedenti proponantur, vt magis parati accedant omnes.

QVOD ſi diſceptando quidquam difficile, vel illis inexplicabile, obortum fuerit, conſulant ea in re peritiores ab Ordinario Deputandos.

IN ipſa Diœceſi, nedum in Vrbe, Clerici omnes, & ſinguli, cuiuſcunq; ſint dignitatis, & ordinis, ad officia, anniuerſariaué celebranda, ad ſolennitates item dierum feſtorum inuitati in Eccleſia, dum diuina peraguntur officia, propria habeant, & induant ſuperpellicea, biretum item Clericale, ſub pœna ſuſpēſionis à diuinis, ac item decem aureorum locis piis Ordinarii arbitrio applicandorum; reſpectu verò Diœceſis in vsũ Sacriſtiæ Plebis illius, cui ſubiiciuntur.

QVIA verò nobis ſignificatum eſt, in ipſa Diœceſi abuſum ſenſim irrepſiſſe, vt aliquibus in locis, abſoluto officio pro defunctis, ſiue anniuerſario, ab ipſis Sacerdotibus,

bus, qui ad officium conuenerunt, perperam decantetur ad Altare maius, ſiue vbi requieſcunt corpora Sacerdotum iam mortuorum, Antiphona, Tu es Sacerdos, loco Reſponſ. Qui Lazarum, propterea abrogatur iſtiuſmodi deprauata conſuetudo; ita vt ſi quis eam ſequi audeat, iacturam emolumenti in eo officio acquiſiti ſubeat.

CLERICVS, cuiuſcunq; ordinis, & conditionis, vbi mortuus fuerit, efferatur indutus veſtimentis ſuo ordini cōgruis, cum cruce in manibus, numquàm autem calice.

QVONIAM in ipſa Diœceſi fœminæ tot fletus, clamoreſq, & noemias tam in via, quàm in Eccleſia præſertim miſcere ſolent, vt & Sacerdotum preces ſæpenumero impediantur, & inani quadam, & inepta, narratione de vita, & moribus defuncti, inter ipſas preces riſus interdum excitentur, propterea hoc Synodali Decreto interdicitur eiuſmodi mulieribus, ne ſub pœna Interdicti Defunctorum cadauera ad Eccleſiaſticam ſepulturam inepto, & immoderato, eiulatu proſequantur; ſed

potiùs domi contineantur.

CVM nos admoneat B. Iob vir ſanè rectus, ac timẽs Deum, vt amicorum noſtrorum, quos manus Domini tetigit, miſereamur, & eorum, qui piis ſuffragiis indigent, quò diuinam miſericordiam faciliùs cõſequantur, ac ſciamus nos quoq; eiuſmodi promeritis indigere poſſe, hoc Synodali Decreto ſancimus, vt ſingulis annis ſtatim in ipſa die, quæ commemorationem omnium fidelium Defunctorum ſequitur, Officium Defunctorum, ac Miſſæ Sacrum, pro Epiſcopis huius Ciuitatis defunctis, Canonici omnes in Cathedrali pio ritu nobiſcum perſoluant.

IN aliis verò Collegiatis Eccleſiis cæteri Canonici, & Beneficiati hoc idem præſtent, Omnes item alii Sacerdotes, tam in Vrbe, quàm in Diœceſi eandem Miſſam pro Epiſcopis defunctis in ſuis Eccleſiis celebrent.

DIE verò mox ſequenti idem officium pro mortuis Canonicis, & aliis Sacerdotibus, qui Eccleſiæ inſeruierunt, à ſingulis

tum Cathedralis, tum Collegiatarum Canonicis, & Sacerdotibus peragatur.

PAROCHI omnes tam Vrbani, quàm Diœceſani in ſuis Eccleſiis pro Parochis iam vita functis hoc idem pietatis officium præſtare ſtudeant, memores eadem quippe menſura, qua menſi fuerint aliis, ſibi ipſis quoq; à Domino remetiendum.

DEFVNCTO cuiuſuis Eccleſiæ Canonico ſequenti ſtatim die nõ impedita, vel ſaltem alia proximè futura, officium defunctorum pro eo, & Miſſa ſolenni ritu ab omnibus Canonicis, & Sacerdotibus illius Eccleſiæ decantetur.

## FORMVLA NOTANDI Defunctorum nomina.

*A DI di del mille ſeicento*
*Il Sig. N. della Parochia di Santo*
*è morto ad hore di notte*
*Fù confeſſato da me N. Curato d'eßa Chieſa adi*
*Communicato adi*
*Dato l'Oglio Santo adi*

*Sepolto nella Chieſa di Santo nella ſepoltura de' ſuoi maggiori.*

## DE REGVLARIBVS.

QVONIAM ex Monaſteriis piè inſtitutis & rectè adminiſtratis in Eccleſia Dei plurimum ſplendoris, & vtilitatis, oritur, ab omnibus obſeruetur regula, quam profeſſi fuerint, maximè circa vota obedientiæ, paupertatis, & continentiæ.

*Cõc. Trid. 25. c. 1. de Regular.*

SINT pauperes ſpiritu, non elati, mites, non iracundi, diligentes, non curioſi, religioſi, non ſuperſtitioſi, pacifici, non contentioſi.

MISSÆ, & Horæ Canonicæ in eorum Eccleſiis ſuis temporibus, horiſq; debitis celebrentur.

REGVLARES cuiuſcunq; ordinis, qui ad præſcriptum Bullæ Fel. Record. Gregorii XIII. Conſeruatores ſibi non elegerunt, vel electos mutãuerunt, & eorum nomina, & cognomina intra Menſem Epiſcopo loci Ordinario per legitimam, & authenticam fidem in Actis exhibitam, non indi-

indicarũt,in omnibus cauſis Ciuilibus tam mercedum, & miſerabilium perſonarum, quàm aliarum quarumcunq; rerum, coram Ordinario tanquàm Sedis Apoſtolicæ Delegato conueniantur, & iure medio ad ſolutionem debiti cogãtur, & compellantur.

CVM verò prouidè Sacri Concilii Tridentini Decreto cautũ ſit,vt quicunq;Regularis nõ ſubditus Epiſcopo intra clauſtra Monaſterii degẽs,& extra ea ita notoriè delinquẽs,vt populo ſcandalũ exhibuerit, Epiſcopo inſtante, à ſuo Superiore intra tẽpus ab ipſo Epiſcopo præfigẽdũ ſeuerè puniatur, ſed interdum in huiuſmodi Decreti executione nimis remiſsè procedatur, & ſæpe Superior regularem ſic delinquẽtem ad alia ſuorum ordinum loca extra Epiſcopi Diœceſim ex induſtria impunitũ tranſmittat, vel etiam ipſe transferat ſe ad alias Prouincias, nec vlteriùs ſuper delinquentis exceſſibus inquiratur, propterea, vt prædictum Decretum omninò executioni mittatur, & immeritæ impunitati opportuno

*Seſſ.25.c. 14.& ſeſſ. 6.c.3.de refor.*

tuno

tuno remedio occurratur, quotieſcunq; id euenerit, omninò agatur ex præſcripto Conſtitutionis S. D. N. Clementis Octaui editæ ſuper executione eiuſdē Concilii, & ad finem harum Conſtitutionum iuſſu noſtro deſcriptæ.

1595. *Octau. Ca len. Mart.*

NON audeat vllus Regularis, qui non ſit Superior, aut Generalis, vel Viſitator, ſiue Confeſſor Monaſterii, accedere ad Monaſteria Monialium, etiam ordini ſuo ſubiectarum, nec ibi quamcunq; viſitare Monialem, ne arctiſſimo quidem conſanguinitatis vinculo ſibi coniunctam, nec in earum Eccleſiis Miſſam celebrare, ſub pœna Excommunicationis latæ ſentētiæ, nec non carceris, in quem coniiciatur is, qui abſq; licentia Illuſtriſſimorum Cardinalium Sacræ Congregationis, non obſeruata forma præſcripta, acceſſiſſe comperietur, & hoc iuxta facultatem Ordinario per Reuerendiſſimum Viſitatorē Apoſtolicum, ex ſpeciali mandato eiuſdem Sacræ Congregationis impertitam.

*In Decr. gener. Monial.*

DE

## DE MONIALIBVS.

CVM ſit nihil Deo Optimo Maximo gratius virginitate, nihilué charius caſtitate, Moniales Deo deſponſatæ ſoli Deo placere ſtudeant.

SINT omninò ſimplices corde, ore, & opere; obſeruent vota obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, Regulas item religionis profeſſæ, & quæcunq; in ipſa viſitatione ſtatuta ſunt, nedum in aliis Decretis Synodalibus. *cõc. Trid. ſeſſ. 25. c. 1. de reg. & mon.*

NON habeant, neq; legant libros, niſi de rebus honeſtis agentes, ne muſicales quidem, continentes verba obſcœna, aut amatoria.

CVM nemo ſit, qui non videat, quàm indecens ſit, & à recta viuendi ratione alienũ, Moniales, quæ ſpretis huius ſeculi blandimentis, ſe ſe totas Ieſu Chriſto D. N. vouerunt, ſuæ profeſſionis immemores ad inanes mundi voluptates reſpicere, proptereà non ſpeculis, non pigmentis, ſuffimentiſué vllo modo vtantur, ſub pœna priua-

tionis

tionis veli per vnius menſis ſpacium; nec per aliud tantundem tempus ad crates collocutionum accedere audeant ſine conſenſu Ordinarii.

NON catellos nutriant, vlloué modo in Monaſteriis habeant ſub pœna priuationis veli, ac carceris per menſem.

AD tollendas verò quaſcunq; contentiones, quæ in admittẽdis in moniales puellis oriri conſueuerunt, in Choro, in Capitulo, in Officiis item dari conſuetis, non inſpiciatur dies admiſſionis, ſed habitus ſuſcepti, & profeſſionis emiſſæ. Illæ enim tantùm iure priores cenſentur, quæ non priùs habitum regularem ſuſceperunt, ſed quæ profeſſionem emiſerunt: etiam ſi aliæ priùs communibus monialiũ votis admiſſæ fuerint.

COMEDANT omnes in communi Refectorio, nunquam extra ſine licentia Præfectæ.

NEMO prorſus ingrediatur ſepta Monaſterii, ſiue clauſuram, niſi in caſibus neceſſitatis, & cum licentia Ordinarii in ſcriptis obten-

obtenta. Quicunq; ſecus fecerit, ſciat ſe pœnam excommunicationis iure ipſo incurriſſe Summo Pontifici reſeruatam. *Bull. Pij V. & Gregor. XIII.*

NEC ad Monaſteria monialium etiam Regularibus ſubiectarum vllus omnino ſiue laicus, ſiue Clericus tam regularis, quàm ſecularis, audeat abſq; licentia Ordinarii litteris exarata accedere; Clericus quidem ſub pœna decem aureorum; laicus autem duorum, & aliis grauioribus in vſus pios arbitrio Ordinarii cōuertendis. Regulares autem quicunq; exhibeant Ordinario litteras, ſeu facultates, ab Illuſtriſſima Patrum Congregatione obtentas, & ab ipſo Ordinario recognoſcendas, ſeruatis quibuſcunq; conditionibus in eiuſmodi litterarum ſerie præſcriptis, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto ſubeundæ, & hoc iuxta illud, quod per litteras Illuſtriſſimi Cardinalis Alexandrini anno ſuperiori nomine Sacræ Congregationis Regularium reſcriptum eſt, vt apparet ex Actis Curiæ Epiſcopalis ea in re pnblicè ſcriptis.

CONVERSÆ verò omnes, quæ non-

dum profeſſionem emiſerũt, omninò profiteantur.

NEQ; aliæ in poſterum recipiãtur, niſi profeſſionem tempore ſuo ſint emiſſuræ, atq; ſub perpetua clauſura in Monaſterio permãſuræ cum Monialibus ad præſcriptum Conſtitutionis Gregorianæ.

*Edita 1572. tertio Calen Ianuarij. conſt. 13.*

CÆTERVM, vt multorum fraudibus, & detrimentis, quæ Monialibus non rarò inferũtur, aliqua ratione occurratur, Præfecta, & Moniales per ſe ipſas, vel per procuratores nequeant bona Monaſterii alienare, permutare, locareué, & vllos alios contractus, ſiue inſtrumenta celebrare, rerum, iuriumué ad ipſum Monaſterium quomodocunq; pertinentium, niſi ſciente, conſentiente, & præſente Vicario noſtro Generali, ſeruatis item cæteris, quæ iure ipſo ſeruari debent. Quod ſi ſecus factum fuerit, quilibet contractus inde ſecutus, omnino irritus, & nullus habeatur, & Moniales voce actiua, & paſſiua, ac Officiis priuatæ intelligantur.

QVO verò faciliùs Moniales, & Puellæ ſecula-

cula-

culares, quæ intra ſepta Monaſterii degũt cauſa educationis, illa omnia, quæ ſibi tum ſingulis, tum vniuerſis debentur, exigere, & conſequi valeant, rebuſq; ſuis conſulere, hoc Synodali Decreto ſancimus, vt vnus quiſq; legata, præſtationes, cenſus, dotes, alimenta, & id genus alia Monialibus ipſis, ac Puellis debita, omnino ad tempus præſcriptum, perſoluat. Quod ſi facere neglexerit, is à nemine, præterquàm ab Ordinario abſolui poſſit: niſi facta re uera ſolutione, atq; ita iſtius Decreti tranſgreſſionem nobis reſeruamus, & inter alios Caſus nobis reſeruatos annotari mandamus.

QVONIAM vſu, & experientia ipſa, manifeſtum eſt, multa ſæpe damna rebus Monialium importari ob ficta, & ſimulata depoſita dotis puellæ habitum monachalem ſuſcipientis ex eo, quòd tempore professionis per eam emittendæ, eiuſmodi depoſita dotis fictè, & ſimulatè facta non poſſunt exigi, idcirco, vt earum indemnitati cõſulatur, hoc Decreto Synodali præ-

cipitur, & decernitur, vt in poſterum certo, & conſtituto tempore huiuſmodi pecunia dotalis re ipſa, & actu ipſo, & ſine vlla diminutione, deponatur penes Theſaurarium Montis Pietatis Placentiæ, vel penes alium ab Ordinario ſpecialiter nominandum. Quod ſi quis id obſeruare renuerit, puellæ Monaſterii ingreſſus interdicatur, vel, ſi iam ingreſſa fuerit, domum remittatur, nec ei profeſſio vllo modo fieri permittatur, niſi priùs prædicti depoſiti verè facta fuerit perſolutio.

INTER alias curas graues, quibus in noſtro Paſtorali munere maximè diſtinemur, illa non leuis eſt, quam pro Monaſteriis Monialium cuſtodiendis, & pro earum diſciplina iuxta ſacras ſanctiones tuēda, ſuſtinemus. Quare ad conſeruandam earum clauſurã, & eãdem reſtituendam, ſi quibus in Monaſteriis aliquo modo collapſa ſit, vel imminuta, quædam remedia neceſſariò adhibenda eſſe duximus. Sequentes igitur hac in re Sacri Conc. Trid. sãctiones, & Decr. duo, Apoſt. quorũ alterũ Ro-

mæ

mæ in Sacra Cōgr. negotiis Epiſc. & Reg. p̄poſita datū eſt, alterū ad Reuerēdiſs. Epiſc. Plac. directū in cauſa verten. inter eundem Epiſc. & Abb. Mon. S. Sixti Plac. & à S. D. N. Clem. VIII. Pont. Max. confirmatū, decernimus, & prohibemus, ne quiſpiā ſecularis, vel regularis, quicunq; ille ſit, facultatē vllā alicui cōcedere audeat aut ingrediēdi clauſtra alicuius Monaſterii Monialium in Vrbe, vel in Diœceſi Placen. conſtituti, etiā ſi Monaſterium illud regularibus ſit ſubiectum, aut cū ipſis Monialibus colloquendi, aut aliquid aliud agendi, quod ad clauſuram Monialium ſpectare poſſit, pœna excommunicationis ipſo iure tam contra concedentes, quàm contra illos, qui ſcienter ea facultate vſi fuerint, propoſita. Quod vt faciliùs omnibus notum eſſe poſſit, Decreta ipſa Apoſtolica iuſſu noſtro impreſſa ad harum Conſtitutionum finem apponi mandauimus. *Die 10. Iulij 1594.* *Datū die 7. Iulij 1597.*

CONFICIATVR liber à quolibet Monaſterio, in quo nomina, & cognomina Virginum, quæ pro tempore educationis gratia

tia monaſteria ipſa ingrediuntur, nec non annus, & dies earum ingreſſus, vnà cùm penſionibus, quæ pro alimẽtis perſoluuntur, diligenter annotentur, & deſcribantur, vt ſingulis annis Ordinario, vel ab eo nominatim Deputando, accepti, & expenſi, ratio reddi poſſit.

## DE MVLIERIBVS QVÆ *vulgò dicuntur Retiratte.*

MVLIERES, quæ contemptis mundi huius illecebris, à lapſu peccati, carniſuè blandimento retractæ in Domum certam, & quaſi quoddam refugium, exceptæ ſunt, quæ vulgò Retiratte dicuntur, omnes, & ſingulæ Regulas, & Cõſtitutiones à nobis ſibi præſcriptas inuiolatè ſeruent.

NVLLA earum vnquam è Domo refugii, in quo ſuſcepta eſt, abſcedere audeat abſq; licentia Ordinarii ſcripto obtenta, ſub pœna excommunicationis, & exilii à Ciuitate, & Diœceſi Placentina.

NEC

NEC vllus, vllaué, cuiuſcunq; gradus, & conditionis, præſumat ingredi clauſuram illius loci, ſiue Domus, iniuſſu Ordinarii, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, aliiſué arbitrio eiuſdem Ordinarii infligendis.

## *DE DISCIPLINATIS.*

IN Oratoriis Diſciplinatorum non aſſeruetur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, nec fiat oratio quadraginta horarum, iniuſſu Ordinarii, & quotieſcunq; fiet, non niſi diurno tempore, & ſemper præſente, & aſſiſtẽte eorum Sacerdote, ſeu Cappellano, ſub pœna aureorum 25. locis piis arbitrio Ordinarii applicãdorum, & etiam Interdicti eorum Eccleſiæ, ſeu Oratorii eo ipſo ſubeundi.

QVONIAM ſæpe multi ferunt habitum, licet in nullam adſcripti ſint Confraternitatem, poſthac nemo induat cappam à Diſciplinatis geſtari ſolitam, niſi ſit legitimè deſcriptus in libro ipſius Confraternita-

nitatis, ſub pœna amiſſionis cappæ, & aliis arbitratu Ordinarii, & etiam priuationis Officii ipſo facto ſubeundæ, Priori, ſeu cuiuis alii; qui quidem permiſerit eiuſmodi habitu indui eum, qui re vera in ea ſodalitate minimè deſcriptus ſit.

NEC vllus vnquam aſciſcatur in Confratrem Diſciplinantium, qui vitam turpem ducat, quiué priùs probatus non ſit, an fidei Chriſtianæ rudimenta ſciat.

NVLLVS autem omnino Sacerdos ſecularis, vel regularis conceſſus quibuſcunq; Diſciplinatis audeat obire vllã cuiuſcunq; generis proceſſionem extra eorum Eccleſiam, ſiue Oratorium, vel Cœmeterium, nec Sacramẽtum Euchariſtiæ deferre, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto per ipſum Sacerdotem incurrẽdæ: id quod et aliàs tam per † Viſitatorem Apoſtolicum, quàm per Synodum præcedentem ſancitum eſt.

† *Decr. Gener. in tit. de His, quæ ad Cleric. & Parochos ſeculares pertinent.*

CVM domos proprias quilibet habeat ad manducandum, & id in Eccleſia, vbi ſanctitudo requiritur, facere omnino prohibitum ſit, ideo nunquàm in Oratoriis Diſcipli-

*Paul. ad Corinth. 1. cap. 11.*

ſciplinatorum vlla fiant ientacula ſub pœna Interdicti.

IN eorum item Oratoriis nullæ omnino iniuſſu Ordinarii erigantur, fundenturué, ſepulturæ, & ſi ſecus factum fuerit, habeantur pro non factis, nec erectis, in præiudicium Parochialis Eccleſiæ.

## *DE SCHOLIS DOCTINAE Christianæ.*

INTER cætera munera Parochialia illud præcipuum eſt, & maximè neceſſarium, Dominicis & aliis diebus feſtis pueros in illa adhuc tenera ætate, cum præſertim sẽſus hominis ad vitia procliues ſint, in ſingulis Parochiis fidei rudimẽta, & obedientiam erga Deum, & parentes, diligenter edoceri; propterea in iis omnibus pagis, atq; locis, in quibus Doctrinæ Christianæ Sodalitas nondum erecta eſt, ſaltem duo laici homines ætate & morum probitate graues eligãtur, qui pro Christiana pietate id onus ſuſcipiant, vt prædictis feſtis *Conc. Triden. ſeſſ. 24. c. 4.*

diebus pueros inducere ſtudeant ad Eccleſias Parochiales, vbi exerceantur in ſcholis Doctrinæ Chriſtianæ, & quid illis agendum, quidué vitandum ſit, accuratè inſtituantur: Duæ item mulieres tam integritate morum claræ, quàm natu maiores eligantur, quarum opera puellæ ſeorſum à maribus in Eccleſia imbuantur; vel diebus feſtis Parochi ipſi in veſperis, aut mane ante vel poſt Miſſæ ſacrificium edoceãt pueros, & puellas, populumué in Eccleſia congregatum Doctrinam Chriſtianam, & ea, quæ omnibus ſcire neceſſarium eſt, ne, cum Paruuli petant panem, omnino deſint, qui frangant eis.

VICARII foranei ſæpe videant, an in ſingulis Eccleſiis eorum Regioni ſubiectis fideles Chriſtianæ fidei fundamentis inſtituantur, & an Parochi ea in re diligentia vtantur; quod ſi eos negligentes comperierint, arbitrio ſuo pro prima, & ſecunda vice puniantur, ſi verò in eadem negligentiæ contumacia perſeuerauerint, ad Ordinarium grauiùs puniendi deferantur.

HOR-

HORTAMVR autem omnes, & ſingulos rectores, & adminiſtratores Hoſpitalis magni Placentiæ, aliorumuè locorum piorum, vt poſthac ad omnipotentis Dei gloriam, & honorem, cautiùs & prudentiùs agant in dandis quibuſcunq; eleemoſynis puellis etiam maritandis; Atq; ita ipſæ eleemoſynæ, dotes item, aſſignentur in futurum iis tantùm puellis, quæ vltra fidem à Parocho obtinendam de bona earum voce, & fama, habeant etiam teſtimonium legitimum; ex quo apertè conſtet, illas diebus feſtis ſcholas Doctrinæ Chriſtianæ frequentaſſe: vt alii pauperes hoc ſalutari exemplo permoti ſcholas ipſas Doctrinæ Chriſtianæ diebus feſtis adire ſtudeant.

CONFESSARII grauem pœnitentiam imponant, Concionatores Diuinam vltionem denuncient ipſis parentibus, ac dominis, quorum culpa factum erit, ne liberi eorum, aut ſerui, fundamenta Doctrinæ Chriſtianæ didicerint.

CLERICIS verò minoribus initiatis tam

Vrbis, quàm Diœceſis enixè præcipitur, vt Dominicis, feſtiſq; diebus Doctrinæ Chriſtianæ ſcholis inſeruiant, nec ab eis vllo modo abſcedant, donec pueri dimittantur, aliàs ad altiores ordinum gradus ſe minimè promouendos eſſe ſciant.

VT autem creſcente in dies ſingulos operariorum numero maior fiat progreſſio in via mandatorum Domini, & multò plures ad hanc ſacram actionē incitentur, omnes & ſinguli Rectores in eorūm Parochiis ſæpenumero diebus feſtis inter Miſſarum ſolennia, & Concionatores in eorum concionibus ope ſumma nitantur deducere ad notitiam fidelium præcipuè Indulgentiam plenariam ex Bulla Gregorii XIII. conceſſam omnibus, & ſingulis in docendo Chriſtianam Doctrinam ſe exercentibus, qui ſemel in anno conuenientes in Eccleſias ab Ordinario deputatas ibidem ritè confeſſi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſceperint, nec non Indulgentiam Pii V. Conſtitutione elargitam.

*Edita die 30. Octob. 1572. & 27. Maj. 1576.*

*Edita 6. Oct. 1567.*

*Pſal. 10.* CVM verò initium ſapientiæ ſit timor Domini,

mini, & veriſſimè dictũ ſit, Qui Chriſtum bene ſcit, ſat eſt, ſi cætera neſcit, nullum certè genus ſapientiæ poteſt excogitari, quod verè cum Doctrina Chriſtiana conferri poſſe videatur, qua vel rudes homines, & rerum omnium prorſus ignari, modico labore, & via compendiaria ad cæleſtem, & æternam vitam, ad quam nati sũt fideles, aditum ſibi parent; Hinc nobis pro noſtra Paſtorali ſolicitudine in hanc præcipuam curam ſummo ſtudio incumbendum eſt; vt non modò in Vrbe & in Diœceſi adſint viri probi, & fœminæ piæ, & idoneæ ad puerorum, puellarumué inſtitutionem, verùm etiam vna & eadem Doctrinæ Chriſtianæ ratio, via vna, vnuſq; ritus eam addiſcendi; Propterea libellum ad Chriſtianæ inſtitutionis normã accommodatum, & Sanctiſſimi D. N. Clementis VIII. iuſſu ab Illuſtriſſimo Card. Bellarmino compoſitum, & Romæ quidẽ priùs editum, etiam in hac Ciuitate excudi Typis & promulgari iuſſimus, præcipientes omnibus, & ſingulis in Doctrina Chriſtiana tra-

na tra-

na tradenda laborantibus, vt omni varietate docendi amota, omnibuſq; cæteris libellis ad hanc rem editis penitus abrogatis, hic tantùm, quo rectæ inſtitutionis forma, & ratio, & quid cuiq; Chriſtiano ſcitu opus ſit, & ſummè neceſſarium, nõ minùs clarè, quàm diſtinctè explicatur, ab omnibus tam in Vrbe, quàm in Diœceſi adhibeatur. Clerici verò poſthac ordinibus initiandi hunc omnino libellum apud ſe habeant, huncq; verſent diurna, nocturnaq; manu; nec putent de cætero ad ordines ſibi aditum patere, niſi, cum ſuper eo interrogati fuerint, eos ſcitè ac diſtinctè ad omnia & ſingula in eo contenta reſpondiſſe, conſtiterit, & fidem à Parocho obtentam attulerint, ſe Doctrinæ Chriſtianæ ſcholis diligenter inſeruire.

## *DE BENEFICIIS.*

POSTEA quàm vſu ſæpe contingit, vt multis ad conſtituendum ſufficiens patrimonium computentur etiam quotidianæ diſtri-

diſtributiones in Eccleſiis percipi ſolitæ, etiamſi propter eorum imperitiam ad earum perceptionem minimè admitti debeant, nec poſſint, proptereà poſthàc nemo promoueatur ad titulũ beneficii vnà cum diſtributionibus ad conſtituẽdum ſibi patrimonũ, vnde viuere poſſit ordinandus, qui etiã non habeat fidem legitimam, ſiue documentum à Sacerdote perito in arte canẽdi, ex quo perſpicuè conſtet, eum eſſe idoneum in cantu, vt dicunt, firmo, aliiſué partibus officii ſui rite obeundis ad percipiendas diſtributiones.

QVONIAM in viſitatione Eccleſiarum per Ordinarium nouiſſimè facta compertum fuit, nonnulla beneficia ſine legitimo titulo detineri per Sacerdotes etiam minimè examinatos, nec Ordinario comprobatos, minuſq; præſtitis, ſeu obſeruatis conditionibus, ac formis in litterarũ Apoſtolicarum diſpoſitione præſcriptis, propterea his, & aliis grauibus de cauſis animum noſtrum mouentibus, vt de cætero ſimilia euitentur, & quantum poſſumus

huiuſ-

huiuſmodi fraudibus occurratur, hoc Decreto Synodali mandamus, quòd prouiſi etiam per Curiam Romanam de quibuſcunq; beneficiis in Diœceſi Placentina conſtitutis, vel ab aliis etiam Ordinario inferioribus, teneantur vigore huius Decreti ſub pœna ſuſpenſiónis à Diuinis eo ipſo ſubeundæ, amiſſionis item fructuum ad ratam cōtumaciæ exhibere Ordinario intra duos menſes à die adeptæ poſſeſſionis quaſcumq; prouiſiones, ſeu collationes in eorum gratiam factas.

## DE DECIMIS.

CVM inſtitutio Decimarum, quæ præbentur viris cultui Diuino, Deiq; miniſterio addictis, ſit antiquiſſima, iureq; Diuino tradita, hancq; portionem ſibi Deus retinuerit ex rebus, quas nobis elargitus eſt, in ſignum ſupremi Dominii, volueritq; ſibi ſolui non ad præmium, ſed ad honorem, quo lætatur Deus veluti author, & largitor, bonorum omnium, propterea

*Cap. Decima 16. q. 20. cap. Tua. 2. De Decimis.*

reà maximum ingratitudinis vitium eſſet, ei partem bonorum exhibere nolle, à quo quidquid habemus, totum accepimus. Cum igitur Deus Optimus Maximus gratis omnia nobis condonauerit, & à nobis eorum, quæ largitus eſt, decimas pro ſuorum ſuſtentatione miniſtrorum expoſcat, quod nequaquam noſtrum, ſed expoſcentis eſt, ei non liberaliſſimè, ac libentiſſimè perſoluemus? cum præſertim piè illas perſoluentibus accedant bonorum incrementa, ſubtrahentibus autem velut ingratis, & perfidis diſpenſatoribus miſerabilia rerum ſuarum damna. Itaq; ne magno cum animarum detrimento per inſcitiam aut obliuionem, vel malitiam peccetur ab iis, qui decimas perſonis, quibus legitimè debentur, vel non omnino perſoluunt, vel ex parte tantùm, Parochi intra Miſſarum ſolennia, Prædicatores item in eorũ Concionibus ſecundo quoq; die Dominico Aduentus, & Quadrageſimæ, accuratè doceant populum, quid circa ſolutionem decimarum ſacroſancto Conc. Trid. ſan-

*Malachiæ 3.*

*Seſſ. 25. c. 12. de ref.*

ctiſſimè cautum ſit. Vehementer hortentur, & moneant omnes, vt Decimas integrè perſoluant Eccleſiis, vel perſonis, quibus legitimè debentur, cum illi, qui eas ſubtrahunt, occupant, aut impediunt, excommunicationi ſubiiciantur, nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſoluantur. Quibus etiam diebus euulgent Decretum eiuſdē Synodi Tridentinæ editum contra occupantes quouis modo alicuius Eccleſiæ, ſeu cuiuſuis ſecularis, vel regularis Beneficii, Montium Pietatis, aliorumq; piorum locorum Iuriſdictiones, bona, cenſus, ac iura, etiam feudalia, & Emphyteotica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcunq; obuentiones, quæ in miniſtrorū, & pauperum neceſſitates cōuerti debent.

*Seſſ. 22. de reform capit. 11.*

SI quis fortè reperiatur in iis locis, in quibus generatim ab omnibus Decimę fructuum, qui ex prædiis colliguntur, Cathedrali, Eccleſiiſuè Plebanis, ſeu quibuſcunq; aliis Eccleſiis ſoluuntur, qui eiuſmodi Decimas perſoluere renuat, quoniam ſibi perſuadet, vel alicuius Priuilegii, aut alterius cau-

ſæ præ-

ſæ prætextu, ſe eſſe immunem, is exhibeat intra annum incipiendum à die editionis harum Conſtitutionum immunitatis ſuæ priuilegium, ſeu legitimam cauſam afferat, qua decimas vnà cum aliis perſoluere non teneatur. Quod ſi nihil planè validum ad eius immunitatem tuendam attulerit, ad ſolutionem Decimæ quamprimùm ſub pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis, compellatur, & ne quis huius Decreti ignorantiã allegare, ac ſe tueri poſteà poſſit, ſæpiùs, prædicto anno durãte, hoc Synodale Decretum per Parochos publicari mandamus.

## *DE CONSERVATIONE bonorum Eccleſiæ, & eorum adminiſtratione.*

POSTVLAT ratio curæ Paſtoralis, vt non modò oues nobis creditas ſpirituali pabulo paſcamus, & ad cęleſtem patriam dirigamus, verùm etiam vt in bonorum, & iurium temporalium conſeruationem, & adminiſtrationem totis viribus incumbamus.

ctiſſimè cautum ſit. Vehementer hortentur, & moneant omnes, vt Decimas integrè perſoluant Eccleſiis, vel perſonis, quibus legitimè debentur, cum illi, qui eas ſubtrahunt, occupant, aut impediunt, excommunicationi ſubiiciantur, nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſoluantur. Quibus etiam diebus euulgent

Seſſ. 22. de reform capit. 11.

Decretum eiuſdẽ Synodi Tridentinæ editum contra occupantes quouis modo alicuius Eccleſiæ, ſeu cuiuſuis ſecularis, vel regularis Beneficii, Montium Pietatis, aliorumq; piorum locorum Iuriſdictiones, bona, cenſus, ac iura, etiam feudalia, & Emphyteotica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcunq; obuentiones, quæ in miniſtrorũ, & pauperum neceſſitates cõuerti debent.

SI quis fortè reperiatur in iis locis, in quibus generatim ab omnibus Decimę fructuum, qui ex prædiis colliguntur, Cathedrali, Eccleſiiſuè Plebanis, ſeu quibuſcunq; aliis Eccleſiis ſoluuntur, qui eiuſmodi Decimas perſoluere renuat, quoniam ſibi perſuadet, vel alicuius Priuilegii, aut alterius cau-

ſæ præ-

ſæ prætextu, ſe eſſe immunem, is exhibeat intra annum incipiendum à die editionis harum Conſtitutionum immunitatis ſuæ priuilegium, ſeu legitimam cauſam afferat, qua decimas vnà cum aliis perſoluere non teneatur. Quod ſi nihil planè validum ad eius immunitatem tuendam attulerit, ad ſolutionem Decimæ quamprimùm ſub pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis, compellatur, & ne quis huius Decreti ignorantiã allegare, ac ſe tueri poſteà poſſit, ſæpiùs, prædicto anno durãte, hoc Synodale Decretum per Parochos publicari mandamus.

## *DE CONSERVATIONE bonorum Eccleſiæ, & eorum adminiſtratione.*

POSTVLAT ratio curæ Paſtoralis, vt non modò oues nobis creditas ſpirituali pabulo paſcamus, & ad cęleſtem patriam dirigamus, verùm etiam vt in bonorum, & iurium temporalium conſeruationem, & adminiſtrationem totis viribus incumbamus.

bamus. Itaq; ne res, & bona, iuraué Eccleſiæ, & locorum piorum, vel negligentia, vel malitia hominum depereant, diminuãturué, neue ipſius Eccleſiæ (id quod in pleriſq; locis in ipſa viſitatione non mediocri dolore noſtro cognouimus, & quotidie magis experimur) monumenta, & publica documenta intercipiantur, hac lege Synodali ſancitur.

VT Capitula tam Cathedralis, quàm Collegiatarum, Hoſpitalium item, & quorumcunq; locorum piorum adminiſtratores, & alii quicũq; beneficia Eccleſiaſt. curata, vel ſine cura, quocunq; nomine vocentur, in præſentia obtinentes intra tres menſes ab harum Conſtitutionũ editione incipiẽdos, & reſpectu eorũ, qui de cætero obtinebũt, ab adeptæ poſſeſſionis die, Moniales itẽ, ſeu eorũ procuratores intra præſcriptũ tẽpus conficiãt inuentaria duo omniũ, & ſingulorum bonorũ immobilium, cenſuum, redituum, iurium item, & actionum, & aliorum quorumcunq; ad ſingulas Eccleſiás, & pia loca quomodocunq; per-

pertinentium, Vnum quidem Ordinario exhibendum, & in Archiuio Epiſcopali aſſeruandum, & alterum in ſingulis eorum Capitulis, Eccleſiis, & locis piis, ad perpetuam rei memoriam diligentiſſimè cuſtodiendum ſub pœna ducentorum aureorum locis piis applicandorum.

CÆTERVM ad euitandum periurii crimen omnes, & ſinguli Beneficiati ſint memores iuramenti per quemlibet eorũ præſtiti in adeptione tituli beneficiorũ. Quod quidem iuramẽtum ſi adimpleuerint, non modò immunes erunt à culpa lethali, verùm etiam alias pœnas euitabunt.

VT bonorum Eccleſiaſticorum conſeruationi magis conſulatur, & vſurpationibus, fraudibuſué hominum pro parte virili occurratur, nunquam Clericus minor natu obtinens beneficium quodcunq; concedat ſine licentia Ordinarii ſcripto exarata alicui eius conſanguineo, affiniué bonorum ſui beneficii adminiſtrationem, minuſq; illa, vel partem eorum locet ſub pœna arbitrio Ordinarii imponenda.

QVO-

QVOTISCVNQ; bona Eccleſiaſtica ſine legitimo Superioris aſſenſu permutata, vel quouis modo alienata, reperiuntur; tunc coram Ordinario agatur, vt detentores eiuſmodi bonorum ea omnino reſtituere cogantur, vnà cum fructibus non iure perceptis. Permutatio autem, aliaué quæcunq; alienatio irrita, & planè nulla declaratur. Quòd ſi Clericus in eiuſmodi bonorum recuperatione negligẽs fuerit, ſciat ſe præter iuramenti violationẽ, quo aſtringitur, etiam aliis pœnis arbitrio Ordinarii ſubiiciendum.

VT autem magis innoteſcat, quàm graue ſit peccátum, nefariumué ſacrilegium, bona, & iura huiuſmodi occupare, iuſſum eſt per ſingulos annos certis diebus publicari Decretum Concilii Tridentini; & partem Bullæ in Cœna Domini contra occupantes bona Eccleſiaſtica.

QVONIAM & Sacrorum Canonum Decretis, & ſanctiſſimorum Patrum teſtimoniis bona, quæ fidelium pietate Deo conſecrata ſunt, vbi primùm Eccleſiæ bo-

na eſſe

na eſſe cœperunt, eam naturam, & conditionem, conſequuntur, vt eorum fructus duntaxat in ſacrum, & pium vſum conuerti debeant, idcircò Nos ex officio Paſtorali illud admonendum eſſe cenſuimus, vt Abbates, Præpoſiti, Parochi, ac cæteri omnes cuiuſcunq; dignitatis, & gradus, Eccleſias, & quæcunq; beneficia Eccleſiaſtica etiam ſimplicia, quomodocũq; etiam commendata in Diœceſi Placentina obtinentes, adhibita omni cura, & diligentia, ſtudeant cognoſcere qualitates, & onera, quæ eorum Eccleſiis, & beneficiis iniuncta ſunt ex earum, eorumuè erectione, ſeu fundatione, aut aliis Cõſtitutionibus, aliauè quacunq; ratione, illiſq; integrè ſatisfaciant. Quod ſi facere intermiſerint, & fructus eos in vſum, quem deberent, non impenderint, ii omnes & ſinguli ſciant, ſe eorum omnium neceſſaria reſtitutione teneri, neq; vlla omnino etiam immemorabili conſuetudine excuſari. Nouerint etiam omnes, ad quos ſcienter huiuſmodi fructus, vel aliquod ex eis commodum quo-

*Cõc. Trid. ſeſſ. 25. c. 5. de refor.*

uis

uis nomine peruenerit, ſe eadem reſtitutionis lege obligari.

QVÆ quidem onera tam Miſſarum, quàm Anniuerſariorum celebrandorum, commemorationumué faciendarum, & quorumcunq; aliorum, vt quò magis omnibus innotuerint, eò ſtudioſiùs ab omnibus executioni demandentur, præcipitur, vt in Sacriſtia quarũcunq; Eccleſiarũ intra duos mẽſes Tabella cõficiatur, & affigatur in loco conſpicuo perpetuò cuſtodienda, ſummatim continens omnia, & ſingula onera Miſſarum, & aliarum quarumuis obligationum, & qualitatum, quibus beneficia ibidem exiſtentia ſubiiciuntur; & hoc ſub pœna decem aureorum locis piis arbitrio Ordinarii applicandorum.

QVONIAM beneficiorum, & Eccleſiarum res quamplurimæ negligentia illorum, quibus creditæ erant, eò redactæ sũt, vt non modò publica documenta interierint, ſed etiam plerunq; libri Cenſuales nuſquam appareant, propterea ne quis in Chriſti patrimonio negligẽtior eſſe videatur,

tur, quàm in ſuo, ſtatuimus, vt in Vrbe quotannis à Capitulo Cathedralis vir vnus eligatur ab Ordinario confirmandus, qui ſedulò inueſtiget, an omnes, & ſinguli tam Cathedralis, & Collegiatarum Canonici, & alii quiuis Beneficiati, quàm Rectores Parochialium Vrbis librum habeant præcipuum, in quo ſigillatim omnes, & ſinguli prouentus, legata itẽ & cenſus ad ſingulorum beneficia, ſeu Eccleſias quomodocunq; pertinentes, ordine, diſtinctè, & enucleatè ad perpetuam rei memoriam, nedum ad ſucceſſorum vtilitatem perſcribantur, in eo annotatis etiam tam nominibus Emphiteotarum annuos reditus, ſeu penſiones, perſoluẽtium ipſis beneficiatis, & Eccleſiis, quàm Inueſtituris, & Confeſſionibus pro tempore factis, & faciendis; deſcripta itẽ breuiter, & ſummatim quantitate, & qualitate bonorum, pro quibus annuatim canones, & prouentus eis perſoluuntur.

IN Diœceſi autem Vicarii foranei ſumma adhibita diligentia inſpiciant, an item ſin-

guli Rectores intra Regionem ſolicitudini ſuæ commiſſam degentes habeant libros ad hunc vſum dumtaxat comparatos; in quibus particulatim omnes, & ſinguli reditus, ſiue cenſus, præſtationeſué, legata item, & alia quæcunq; ad ſingulas eorum Eccleſias quomodocunque iure, vel conſuetudine pertinentia, aptè, & diſtinctè annotentur, Inueſtituræ item, Confeſſiones, & alia quæuis documēta, quibus iura Eccleſiarum cōfirmantur, & cōſeruantur.

QVOSCVNQ; verò tam in Ciuitate Electus ab ipſo Capitulo Cathedralis, quàm in Diœceſi Vicarii Foranei inuenerint ea in re negligentes; eos non modò arguant, ſed illis prætereà nomine noſtro præcipiāt, vt intra mensē tunc proximè venturū ſub pœna vigintiquinq; aureorū huiuſmodi libros omnino aptè conficiant, & confectos eiſdem ſub eadem pœna exhibeant conſiderandos, an omnia, & ſingula in eis rectè perſcripta ſint, & annotata.

SI Quid verò in Diœceſi à Laicis occupatū, vſurpatumué fuerit, quod opera Vicarii

Fora-

Foranei recuperari, & Eccleſiæ non facilè reſtitui poſſit, Ordinarium ſtatim de re tota certiorem faciat, vt remediis opportunis indemnitati Eccleſiæ prouideri poſſit, & quod Deo, & miniſtrorum ſacrorum vſui conceſſum fuit, ab eorũ manibus ereptum locis religioſis, ac eorum miniſtris quamprimùm reſtituatur.

QVONIAM eò temeritatis ventum eſt, vt nonnulli bona, ſcripturas, & iura Clericorũ mortuorum, inuadant, & vnà cum eis illa ſæpiſſimè etiam, quæ in beneficio ſuccedentibus debita ſunt, Eccleſiæ item bona, & iura, ſacrilegè ſurripiant, vel occultent, hoc Decreto *Synodali* prohibemus (id quod etiam *Synodo* ſuperiori inhibitum eſt) ne quis prætextu quouis ſub pœna ducentorum aureorum, & excommunicationis latæ ſententiæ id attentare præſumat. Quo Decreto illos comprehendi etiam volumus, qui nulla inuaſione, aut nulla vi facta, ex ædibus Clerici defuncti ſupellectilem, & quaſcunq; res alias, ſcripturaſuè priùs aſportant, occultant, aut

euehunt; quàm à Viciniori Rectore, vel Vicario Foraneo, Inuentarium factum fuerit, quibus ſimul, & ſeiunctim mandatur, vt mortem cum primùm Rectoris vicini intellexerint, teneantur, vel alter eorum teneatur, ſub pœna 25. ducatorum Inuentarium prædictum conficere, fideliter, & diligenter deſcribendo omnia, & ſingula Clerici mortui bona, mobilia, libros, ſcripturas, & id genus alia, vt diſcerni poſſint, quæ ad Eccleſiam, beneficiumué pertinent, & quæ ad hæredes; quibus teneatur Vicarius Foraneus dare, & tradere omne id, quod ad Eccleſiam, vel eius Sacriſtiam, non ſpectare manifeſtè cognouerit; in quo eius conſcientiam oneramus, & vt Decretum hoc omnibus innóteſcat, populo per Parochos publicari mandamus.

## *DE VICARIIS FORANEIS.*

QVONIAM multa ſæpe poſſunt euenire in ipſa Diœceſi Placentina, quibus tam propter magnam eius latitudinem, quàm

quàm ob locorum interualla, aliaſq; rerum difficultates, non facilè, vel ſaltem ſeriùs, quàm expedit, opportuna remedia poſſint adhiberi, ea propter hanc ipſam Diœceſim in partes diſtribui curauimus, vt totum gregem Diœceſanum quaſi præſentes intueremur. Hinc aliquot Sacerdotes non minùs integritatè morum, quàm peritia rerum nobis notos elegimus in Vicarios Foraneos, certāq; & definitam eis Regionem aſſignauimus iuxta ſchedulam inferiùs deſcriptam.

HI verò cum in partem ſolicitudinis noſtræ Paſtoralis vocati ſint, memores Officii curæ eorum cōmiſſi quærant de vita, & moribus Sacerdotum, & vti ſe gerāt in Sacramentorum adminiſtratione, aliiſuè rebus ad curam Paſtoralem attinentibus, an præſertim Doctrinæ Chriſtianæ incumbant. Quod vt faciliùs aſſequantur, ſingulis ſaltem menſibus ſtudeant cogere Sacerdotes, cuiuſcunq; gradus, & conditionis, curam animarum gerentes modò in vnam, modò in aliam, per modum circuli Eccleſiam

Paro-

Parochialem ſuo Vicariatui attributam, ea obſeruata forma, quæ in titulo de Congregationibus eſt præſcripta, ac in eis ſæpenumero, vel ter ſaltem ſingulis annis legatur Pii Quinti piæ recordat. Conſtitutio de Reſidentia, quam ad finem horum Decretorum imprimi curauimus.

*1568. Octano idus Iulij.*

V T primùm intellexerint aliquam Parochialem Eccleſiam eorum Vicariatui ſubiectam Rectore ipſo carere, obitu, ceſſione, vel abſentia, aliaué quacunq; cauſa, ſtatim litteris de re tota certiorem faciant Ordinarium, nec ſæpiùs eadem repetentes eum monere deſinant, donec re ipſa de Rectore prouiſum fuiſſe cognouerint, ſub pœna decem aureorum locis piis arbitrio Ordinarii applicandorum, ac interim, ſi quos in promptu habebunt Sacerdotes idoneos, ad ipſum mittant, vel ſaltem eorum nomina, & cognomina, ætatem, aliaſué qualitates ad eundem Ordinariũ perſcribant.

V I D E A N T item an Parochi omnes, & curam animarum exercentes, aliiué reſidere debentes, in eorum Eccleſiis, beneficiiſué

dies,

dies, noctesq; perſonaliter reſideant; non reſidentes moneant, & pœnis, & mulctis reſidere, domosq; ipſas Parochiales (modò Eccleſia habeat) inhabitare compellãt, non autem laicales, ſiue patrimoniales, & de his rebus ſingulis Ordinariũ moneant.

VT Pii Quinti Conſtitutio contra non recitantes horas Canonicas edita, qua vel ratione ſacrorum ordinum, quibus ſunt inſigniti, vel beneficiorũ Eccleſiaſticorum, quæ obtinent, aut penſionũ,ſeu fructuum eis reſeruatorum, recitare illas debent, etiam in Diœceſi omnino executioni mandetur; Vicarii Foranei in Congregationibus ſaltem bis in ſingulos annos eam publicari curent;nec non experiantur,an omnes, qui intra limites Vicariatus ſui degũt, diuinum officium, ad quod ex prædictis cauſis ſinguli tenentur, recitare ſciant,vt ſi ex mediocri exercitatione, quam in recitando præſeferunt,eos minimè, vt debent, recitaſſe cognouerint, non modò arguantur, ſed etiam contra eoſdem ad præſcriptum prælibatæ Conſtitutionis agi poſſit. 1571.12. Cal. Octo.

QVI-

QVILIBET Vicarius Foraneus viſitare teneatur quotannis Regionē ſibi commiſſam; vt autem id commodiùs peragatur, in Congregationibus foraneis viſitet Eccleſiam, vbi habebitur Congregatio; nihil tamen noui decernat, ſed tantùm referat, ſiqua inuenerit corrigenda; & quæcunq; in Viſitationibus Apoſtolicis, noſtris item, Synodalibuſq; Decretis, & Conſtitutionibus, ſancita ſunt, ſedulò curet, vt executioni mittantur.

TENEANTVR Vicarii Foranei cum primùm mortē alicuius Sacerdotis, vel beneficiati ex ſuo Vicariatu audierint, illud obſeruare, quod ſuprà in titulo de Conſeruatione bonorum Eccleſiæ mandatum eſt in ſ. Quoniam eò temeritatis, & Ordinarium certiorem facere de vacatione omnium, & ſingulorum beneficiorum, quæ ipſe poſſidebat, ac de vero annuo valore, & an dicta beneficia ſint ſimplicia, vel curata, libera vel de iure patronatus, ac onera, quæ dictis beneficiis erunt annexa, eidem ſignificare.

CVM

CVM verò & Sacri Concilij Trid. Decreto cautum ſit, vt adminiſtratores tam Eccleſiaſtici, quàm laici fabricæ cuiuſuis Eccleſiæ, hoſpitalis, confraternitatis, & quorũcunq; piorũ locorũ ſingulis annis Ordinario rationẽ reddãt, nec propter huius Diœceſis amplitudinem, & locorũ interualla ſine maximo incõmodo illud per eos præſtari poſſit, mandamus Vicariis Foraneis, vt rationem adminiſtrationis bonorum cuiuſlibet Confraternitatis, Hoſpitalis, lociuè pii intra fines ſui Vicariatus conſtituti per ſingulos annos in Calendis Ianuarii ſibi reddi faciant, & quidquid emendatione ea in re dignum inuenerint, per totum menſem Ianuarium Ordinario ſignificent. Quod ſi ſecus factum fuerit, quæuis inde ſubſecuta liberatio irrita, nulla, ac inanis habeatur. Verum ſi Vicarii Foranei ea in re negligentes fuerint, pœnam decem aureorum locis piis applicandorum incurrant. *Seſſ. 22. capit. 9. de refor.*

# *DE TESTIBVS Synodalibus.*

VT teſtes Synodales iure Sacrorum Canonum in Synodo delecti iureiurando obſtinguntur, vt munus ſibi commiſſum rectè, & integrè præſtent, ita non amore, non odio, non ſpe, non metu, non cognatione, non vlla deniq; re commoueri, vel impediri debent, quominùs ad Epiſcopum referant quæcunq; tam in Vrbe, quàm in Diœceſi emendationem, aut reformationem, deſiderare intellexerint.

# *DE QVÆSTORIBVS, vulgò Quæſtuarijs.*

*Seſſ. 21. capit. 9. de refor.*

VT aboleatur prauus eleemoſynarũ quæſtorũ abuſus, iuxtà Sacri Cõcilii Tridentini Decretum decernimus, vt nemini in poſterum per Ciuitatem hanc, & Diœceſim Quæſtuarii munus exercere liceat ſub quouis titulo, ſiue prætextu, niſi ad id facultatem à Sãcta Sede Apoſtolica præſentatam

tatã priùs Ordinario,& recognitã,vel eã ab ipſomet Epiſcopo obtinuerit.Quod ſi quis abſq; huiuſmodi licentia quæſtum exercere præſumpſerit, vel etiam ſi debitam habet licentiam, non ſeruet tamen conditiones in ea poſitas, is à Parocho illius loci omnino compeſcatur, reſq; omnes eidem per Parochum capiantur, ac penes idoneam perſonam reponãtur confecto ſingularum rerum Inuentario; illiuſq; nomen ad Epiſcopum, ſiue Vicarium Generalem quamprimùm deferatur.

ANTEQVAM verò per Diœceſim iam admiſſus ab Epiſcopo eleemoſynas quærere incipiat in aliqua villa,locoué Diœceſis, Vicarium Foraneum illius Regionis adeat, qui in eadem Epiſcopali licentia teſtatum faciat, ſe dictam licentiam vidiſſe.

## *DE ABVSV DVELLORVM.*

QVAMVIS ad abolendum deteſtabilem, & exitioſum, diuinaq; ac naturali lege, ſacriſué Canonibus, damnatũ Duel-

li abuſum, fabricante nefario humani generis hoſte, inuentum, & introductum, in maximam & deplorandam hominum perniciem pro quibus Dominus noſter Ieſus Chriſtus humana carne aſſumpta ſeipſum in Ara Crucis immaculatam hoſtiam æterno Patri obtulit, complures ſaluberrimæ Pii Quarti, Gregorii XIII. aliorumuè Summorum Pontificum Conſtitutiones, nedum generalis Synodi Tridentinæ, pœnis, & cenſuris propoſitis emanauerint, tamen ad exterminandum magis ex orbe Chriſtiano iſtud exitiale malum, ac ne vnquam inter fideles exerceatur, per quod haud dubiè vnà cum cruenta corporum morte ſequitur etiam ſimul animarum interitus, nouiſſimè Sãctiſſimus D.N. Clemens Octauus itidem cõtra nefaria ſathanæ arma ſalutarem Eccleſiæ gladium diſtringens ad continendos in officio fideles non modò prædictas omnes Conſtitutiones, Decretumq; Concilii Tridentini confirmauit, & innouauit, verùm etiam conſultiſſima Sanctione declarauit, & extendit

*Seſſ. 25. capit. 19.*

*1592. 16. Calen. Sept.*

tendit contra pugnantes in bello publicè, vel priuatè, necnon contra mittentes ſcribentes, aut diuulgantes chartulas prouocatorias, aut ſcripta, quæ dicuntur Manifeſta, eorumq; fautores, & complices. Cuius quidem Conſtitutionis tenorem, ſeu ſententiam ſummatim communi linguæ exprimi, & imprimi, & ad finem harum Conſtitutionum apponi curauimus, & vt omnibus & ſingulis magis innoteſcat, eam per Parochos intra Miſſarũ ſolennia, cum maior adeſt populi frequẽtia, diebus in Calẽdario præſcriptis publicari mandamus.

## *DE CANCELLARIO Curiæ Epiſcopalis.*

CANCELLARIVS priuſquã munus aggrediatur, in manibus Ordinarii, vel Vicarii Generalis iuret hunc in modum.

EGO N. Curiæ Epiſcopalis Cancellarius, ſeu Notarius iuro & ſpondeo me fore in obeundo munere meo diligentem, fidelem, & ſecretum. Iuro præterea & pro- *Iuramentum.*

& promitto acta, ſcriptaué quæcunq; in foro Epiſcopali recepta, vel recipienda, aut in acta quocunq; modo relata, necnon inſtrumenta tam ordinum, quàm collationum, & aliorum ad forum prædictum pertinentia Reuerendiſſimo Epiſcopo, vel eius Vicario Generali tempore receſſus mei ab officio prædicto fideliter conſignaturum. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

NVLLVS vnquã Notarius admittatur ab eo ad inſeruiendũ Curiæ Epiſcopali in officio Cancellariæ, qui fuerit vel condemnatus, vel de falſo Inquiſitus.

CONFICIATVR liber ſatis magnus ab eodem, in quem referantur omnia & ſingula Ciuitatis, & vniuerſæ Diœceſis Placentinæ beneficia ad formam ſibi ab Ordinario præſcribendam.

OMNES item, & ſingulæ pœnæ, ac mulctæ Camerales pecuniariæ, tam declaratæ per ſententiam diffinitiuam Vicarii noſtri Generalis, ſeu per gratiam à nobis factam, quàm etiam exactæ conſcribantur

per

per eundem Cancellariũ in libello ad hunc vſum deſtinato, in quo ſigillatim exaretur nomen & cognomen perſonæ delinquentis, delictum ipſum, & pœna irrogata, & in quo præcisè exprimatur annus, menſis, atq; dies.

## *DE FORO EPISCOPALI.*

PRO commiſſa nobis in hunc gregem Domini cura Paſtorali præcipuo ſtudio tenemur prouidere, vt etiam in hoc Epiſcopali foro Cauſæ tum ciuiles, tum criminales quamcelerrimè & quàm minimis litigantium incommodis, diſpendiiſué, terminentur.

QVICVNQ; igitur voluerit aliquem in ius vocare, & ab eo quidquam in iuditio petere, ſi Ciuitatem incolat aduerſarius, citationem ei per vnum ſaltem diem ante mittat, ſi extra Ciuitatem, & in ipſa Diœceſi commoretur, per duos dies antequàm aliquid contra citatum proponi, & agi poſſit.

HOC

HOC autem Decreto Synodali declaramus, domum habitationis illam intelligi, in qua vocatus in iudicium tempore ipſo, quo vocatur, habitare reperitur cum tota familia, vel maiori parte illius.

QVOD ſi Baricellus, vel alii Executores Curiæ Epiſcopalis domum citati occluſam inuenientes citationem dediſſe falsò retulerint, pro qualibet vice pœnam ſubeant his impoſitam, qui falſum committunt.

CAVEANT verò ne interdum referant, ſe aliquam detuliſſe citationẽ priùs, quàm re vera illam detulerint, ne & ipſi, & Notarii id ſcientes, & in acta redigentes pœna falſi coarguantur, ſeuereq; puniantur.

ACTOR in præcepto ad reum tranſmiſſo paucis narret ſeriem facti, ſuamq; intentionem, & in termino citationis producat, & offerat libellum, ſeu petitionem penes acta, quam petat recipi, & admitti prout in ea.

REVS itidem non verbo, ſed re ipſa, & cum effectu præſcripto termino tradat in manibus Notarii actorum ſuas exceptiones, &

oppo-

oppoſitiones cōtra petitionem Actoris, illasq; breuiùs, quàm fieri poterit, explicet petens eas recipi, & admitti, & fieri prout in eis.

QVOD ſi interdum Reus comparuerit, & dixerit, (id quod pluries in hoc foro obſeruatum eſſe intelligimus) ſe reſpondere prout in ſcriptura, quam tamen tunc non exhibet, porrigitué, ſed differt eius traditionem per decem dies continuos, & vltra, propterea ne cauſæ vltra quàm par eſt, in longum protrahantur, decernimus, & ordinamus, de cętero nullam accipi debere, nec in actis redigi ſcripturam, quæ re vera, & cum effectu non fuerit in eodem actu tradita, vel illinc ad tres dies continuos ad ſummum, ſub pœna nullitatis ipſius ſcripturæ, & alia arbitrio Ordinarii infligenda Notario, ſeu Coadiutori actorum eandem ſcipturam poſt præſcriptum tempus accipienti.

IN criminalibus verò teſtes pro informatione Curiæ Epiſcopalis in delictis non niſi interueniente ſyndico Fiſcali eiuſdem Cu-

riæ, ſi res, & cauſa ita poſtulauit, recipiantur. Nec Rei accuſati, ſiue delati in eorum Conſtitutis examinentur, minuſq; teſtes ad defenſionẽ Reorũ inducti recipiantur abſq; interuentu eiuſdẽ Syndici Fiſcalis, vt opportunè poſſit eos interrogare.

NEC Capitula reorum defenſoria admittãtur, niſi citato priùs in ſcriptis eodem Syndico, & niſi priùs re ipſa penes Cancellarium dimittantur ipſa Capitula, ſiue Articuli ad defenſionem pertinentes.

IN delictis verò grauibus, ſeu enormibus nequeant Rei accuſati, vel delati ſuas facere defenſiones extra carceres. Sed priùs ipſis in carceribus conſtitutis, admittantur eorum defenſiones.

NEQ; Proceſſus criminales per Reos, eorũ ué Procuratores ad Reuer. D. Vicarium deferantur priuſquàm ab ipſo Fiſcali Syndico viſi, & manu propria ſubſcripti fuerint, in hunc modum, (videlicet Syndicus Curiæ Epiſcopalis vidit) vt ſi aliquid in iure, vel facto excitare, vel opponere, voluerit, commodè illud præſtare valeat,

## *DE IIS, QVÆ GENERATIM pertinent ad has Conſtitutiones.*

HÆC ſunt ea, quæ Nos, authore Spiritu ſancto, in hac Sacra Synodo more maiorum habita, perſpectis aliis compluribus huius Eccleſiæ Placentinæ Decretis, & planè cognito in ipſa viſitatione à nobis proximè facta totius huius Diœceſis Placentinæ ſtatu, decernenda, vel confirmanda iudicauimus.

IN quibus ſi vlla vnquam difficultas, ſiue ambiguitas oborta fuerit, illius declarationem, & interpretationem, nobis reſeruamus, ſalua ſemper Authoritate, ac iudicio Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, cui omnia planè, & ſingula, quæ in hac ipſa Synodo decreta, & acta ſunt, maiori, qua debemus, humilitate, & obedientia, ſubiicimus, & ſupponimus.

QVÆCVNQ; verò in ſuperiori Synodo Placentina edita, & promulgata ſunt, eadem omnia hac lege Synodali innouando communimus, & confirmamus, his tantùm

tùm exceptis, quibus non immeritò nouis incidentibus cauſis, derogandum, vel aliquid addendum, aut immutandum cognouimus.

CÆTERVM, ne quis vllam earum rerum, quæ in hac ipſa Synodo ſancitæ ſunt, ignorantiam allegare valeat; edicimus omnibus, & ſingulis Clericis tam Vrbanis, quàm Diœceſanis cuiuſcunq; ſint gradus, ſtatus, ordinis, & conditionis, vt per menſem, ex quo hæ Conſtitutiones typis impreſſæ, & excuſſæ in lucem exierint, illas omnino penes ſe habeant, ſtudioſè legant, & in vſum inducant. Ad Omnipotentis Dei gloriam, Beatæq; Mariæ ſemper Virginis, & ad Sanctorum Martyrum Antonini, & Iuſtinæ, huius Almæ Ciuitatis Protectorum laudem. Dat. Placentiæ, ex noſtro Epiſc. Palatio M. D. LXXXXIX. Idib. Nouemb.

Claud. Rang. Epiſc. Plac. & Co.

Claud. Manar. Not. &
Curię Epiſc. Cancell.

# INDICTIO SYNODI DIOECESANAE PLACENTINAE

## *AD DIEM VNDECIMAM Nouembris feria quinta, quæ erit feſtiuitas S. Martini.*

## CLAVDIVS RANGONVS DEI, ET Sanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia Epiſcopus Placentinus, & Comes.

CVM primum ad paſtoralis officij ſolicitudinem, Eccleſiæq́; Placentinæ adminiſtrationem Dei benignitate, ac Sanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia euocati fuimus; illud præcipuè nobis in animo fuit, vt commiſſum nobis gregem ad cœleſtem patriam ſummo Dei Opt. Max. auxilio dirigeremus; & inter innumeras antiqui hoſtis humani generis inſidias ita cuſtodiremus, vt æterno Iudici rationem reddere poſſemus. Cũ vero pro noſtri Epiſcopalis officij munere præcipua ſit, & ad ſalutem gregis maxime neceſſaria Synodus Diœceſana; quam ſingulis annis, & pro noſtro paſtoralis officij munere, & antiquorum, & Sacri Tridentini Concilij editorum Canonum obſeruatione, ad moderandos mores, corrigendos exceſſus, controuerſias componendas, aliaq́; à Sacris Canonibus ordinata habere debemus; propterea Parochos omnes noſtræ diœceſis iampridem per litteras ad ſingulos plebanos datas euocari, ac de nonnullis in dicta Synodo pertractandis, edoceri curauimus. Vt igitur alijs etiam omnibus cuiuſcunq́; ordinis clericalis, qui Canonum iure, vel Eccleſiaſticis ſanctionibus, vel Tridentini Concilij Decreto, vel conſuetudine, aliaq́; ratione Synodo prædictæ intereſſe debent, nota ſit huiuſmodi cele-

lebratio, & ne quis ignorantiam rei prætendere valeat; vniuerſos, & ſingulos prædictos per hoc noſtrum edictum, quod ad loca ſolita affigi, & promulgari iuſſimus, monemus in Domino; eiſdemq; in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis à iure conſtitutis omnino iubemus; vt præſtituta illa die, quæ erit vndecima Nouembris, ſummo mane ad proceſſionem, & Synodum prædictam, quam in noſtra Cathedrali Eccleſia celebrabimus, conueniant; Indeq; ne cuiquam ſub dictis pœnis, niſi facultate à nobis impetrata diſcedere liceat: vt ope Dei, atq; auxilio ea pertractemus, & promulgemus; quæ ad animarum ſalutem, Cleri diſciplinam, diuini cultus incrementum, totiusq; diœceſis reformationem pro temporum ratione pertinere, ac ſpectare cenſebimus.

Hanc autem Synodalem actionem per Parochos denuntiari populo mandamus; vt eundem ad frequentius orationis ſtudium, ad peccatorum confeſſionem, excitent, & ad ſacram communionem in eorum Parochijs ſumendam die Dominico Synodum ipſam anteceſſitro, atq; eum doceant, quàm ſanctum, ſalutareq; ſit Synodalis Diœceſanæ actionis inſtitutum; & quam ob cauſam quotannis ea actio ſuſcipiatur.

Edicimus quoq;, vt in omnibus, & ſingulis tam Vrbis, quam Diœceſis noſtræ Parochialibus Eccleſijs, quinta quaq; feria in ſingulis hebdomadis, quoad illa de more abſoluta, ac dimiſſa erit, Miſſa de Spiritu Sancto celebretur. In Cathedrali vero, ac collegiatis Eccleſijs proceſſionum præterea munus ſingulis diebus Dominicis obeatur, ex animoq; preces fiant; quibus auxilium pro optimo, & felici Synodalium tractationum euentu ab ipſo Domino impetretur.

Mandamus prætereà, vt omnes Parochi ſuas Parochias obeant, ac luſtrent; & indagatione diligenti de ſingulorum vita, ac moribus perquirant: & ſi quos nefario aliquo, publicoue ſcelere coinquinatos compererint, eorum nomina, & cognomina ad nos, vel ad noſtrum generalem Vicarium deferant.

Cum autem dies Synodalis propè aderit, Vicarij foranei pridie illius diei ſummo mane nobis in ædibus Epiſcopalibus preſto adſint, eorum nomina, & cognomina nobis ordine deſcripta exhibituri, qui Synodo ipſi intereſſe debent, vel abſentium, & intereſſe debentium, excuſationes legitimas, & cauſas allaturi. Hoc ipſum in Vrbe Eccleſiarum præfecti triduo, vel ſaltem biduo ante Synodalem diem præſtare curent.

Mone-

Monemus poſtremo omnes,& ſingulos clericalis ordinis homines, vt neq; in itinere,quod Synodi cauſa hoc ſuſcepturi ſunt,neq; in Vrbe ab ea viuendi frugalitate, Sacerdotaliq; modeſtia, & grauitate,quæ eis à ſacris Concilijs, Synodoq; Diœceſana præſcripta eſt, diſcedant; ſed cùm alijs præclarum vitæ exemplum exhibeant ( vt Apoſtolus monet ) in verbo, in conuerſatione, in caritate, in fide, & caſtitate; tùm nobis hoc graue negotium tractaturis,ſumma cum animi pietate, ieiunijs, precibus, ac ſacrificijs à Deo Opt. Max. auxilium, & opem implorare ſtudeant. Dat. Placentiæ in Palatio noſtro Epiſcopali, die primo Octobris. 1599.

*Claud. Rang. Epiſcop. Placen. & Co.*

*Claud. Manara Epiſc. Curiæ Plac.*
*Not. & Cancell. &c.*

## LITTERAE PASTORALES.

REVER. vti frater. Decreuit Illuſtriſs. Do. Epiſcopus noſter Diœceſanam Synodum celebrare die 11. Menſis Nouembris proximè venturi:& iam illam indixit,quemadmodum ex eius Edicto de more promulgato,& affixo palam vobis factum eſt.Verum, vt omnia ad laudem omnip. Dei optatum ſortiantur effectum, &, quæ ad animarum ſalutem tractantur, faciliori compendio exquiri, & in medium proponi poſſint; idem Illuſtriſs. Do. Epiſcopus nobis in mandatis dedit, vt præter publicam Synodi indictionem, vos, qui in partem ſolicitudinis vocati eſtis, admoneremus; vt, quæ ad veſtram curam pertinent, præparare ſtudeatis, & Illuſtriſs. D. S. quamprimum ſignificetis. Quocirca ſtatim, vt hæ præſentes noſtræ litteræ vobis redditæ fuerint, nacti opportunũ diem; Parochos veſtri Vicariatus in Eccleſia ad id congregatos de noſtris litteris certiores facite: quo peracto, vos, & quilibet ex Curatis veſtro Vicariatui ſubiectis, qua decet diligentia, & fidelitate, ſtatum vniuſcuiſq; Eccleſiæ ſuæ diſquirite;& quæ ad cultum diuinum amplificandum, & mores, ac exceſſus componendos, & corrigendos, & ad ſalutem populi cuiq; veſtrum opportuna, & neceſſaria

videbuntur, obſeruabit; & primò quoq; tempore ad Illuſtriſs. D. S. litteris obſignatis deferrenda curabit. Quibus in litteris optat Illuſtriſs. D. S. non ſolum de abuſibus emendatione dignis, ſed etiam de efficacibus remedijs ad illos euellendos adhibendis, certior fieri.

## *EXAMINANDA AVTEM VOBIS POTISſimum pro præſenti Synodo hæc erunt.*

De obſeruatione Decretorum Synodi vltimæ.
De cultu Eccleſiarum.
De Eccleſiarum reparatione.
De reſidentia Sacerdotum, qui ad eam tenentur.
De prædicatione verbi Dei.
De Doctrina Chriſtiana.
De Sacramentorum adminiſtratione, & receptione.
De celebratione miſſarum ex cauſa legatorum, & fundationis beneficiorum.
De Congregationibus caſuum conſcientiæ.
De dierum feſtorum ſanctificatione.
De Viſitatione infirmorum.
De Eleemoſinis.
De locis pijs, & Hoſpitalibus.
De diſciplina cleri, & moribus laicorum.
Deniq; de alijs omnibus ad præſcriptum aliarum Coſtitutionum Synodalium retroactis temporibus celebratarum.
Quòd, ſi quid fortè de fide ſuſpectũ inuenietis, id in primis nuntiate.
Interim vero hoc toto tempore, quod vſq; ad deſtinatum Synodi diem ſupereſt, poſtulat à vobis enixè Illuſtriſs. D. Epiſc. vt non ſolum vos feruentioribus precibus, & frequentioribus ſalutarem à Deo finem Synodo humiliter poſcere non deſinatis; & ſemel ſaltem qualibet hebdomada miſſam Sācti Spiritus celebretis; ſed inter eadem miſſarum ſolennia populo veſtro oſtendentes Synodalis actionis neceſſitatem, & vtilitatem, eum ad illam pariter domino deuotè commendandam; vt felicem progreſſum habeat, verbo hortemini, atq; exemplo excitetis; qui vos exaudire dignetur. Dat. Placentiæ die 4. Octobris 1599.

*Dioneus Corrigius Vic. general.*

*Claud. Manara Epiſc. Curiæ Plac. Not. & Cancell. &c.*

## CLAVDIVS RANGONVS DEI, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ gratia Epiſcopus Placentinus, & Co.

CVM Clericalis ordinis homines omni tempore morum integritate, innocentia, fide religione, pietate, vitæ exẽplo, quo domus Dei potiſſimum illuſtratur, omni virtutũ ſplendore Laicis hominibus prælucere debent; Tum maximè cum ſynodales actiones habentur. Ideo omnes, & ſingulos per viſcera Miſericordiæ Domini Noſtri Ieſu Chriſti obteſtamur, & monemus; vt ita ſe gerant in verbo, in conuerſatione, in charitate, quemadmodum Apoſtolus monet; vt officij ſui memores dignè Deo ambulent, ſanctéq;, ſicut decet miniſtros myſteriorum Dei, viuant. Caueant verò, ne, vt pleriq; ſolent, cum in ciuitate ſunt, per plateas vagentur, atq; præ curioſitate hàc, atq; illàc circumcurſent; ſed ad cauſam, ob quam conuocati ſunt, tota animi cogitatione tunc attenti, in ea verſentur. Pro Illuſtriſſimo Epiſcopo puris, caſtiſq; precibus Deum obſecrent, & ſibi, & populis ſalutarem inde fructum percepturi.

Aſſiduè, caſtè, pureq; Deo preces adhibeant.

Pro Sanctiſſimo Domino Noſtro Papa Clemente VIII.

Pro Sereniſſimo Duce noſtro Ranutio.

Pro pace, & tranquillitate Reipublicæ Chriſtianæ.

Pro reformatione, & progreſſu diſciplinæ Eccleſiaſticæ Ciuitatis, & Diœceſis Placentinæ.

Pro felici ſucceſſu huius ſynodalis actionis.

Ad cauponas non diuertant.

Ad ſynodalem ſeſſionem ſtata hora conueniant.

Non raptim, ſed graui inceſſu.

Veſtes talares, coronamq; in capite habeant.

Bireta Clericalia, non autem pileos, ſuperpellicea item munda, ac decentia induant.

Decenter iuxta Eccleſiaſticos ordines, & beneficiorum qualitatem induti, ad ſtatũ ſeſſionalem locũ non turbulenter, ſed quietè accedant.

Bini, quoad eius fieri poteſt, conueniant.

Ordine conſideant.

Mane, priuſquam veniant, cibum minimè capiant, ſed ieiuni accedant.

Ieiunium, quod in Eccleſiaſticis his actionibus olim inſtitutum fuit, vt ſeruent, hoc valde hortamur in Domino.

In lo-

In loco autem benedictionis, quod eſt templum Deo conſidentes, ne vocibus obſtrepent.
Ne confabulationibus operam dent.
Ne tumultibus ſynodalem actionem perturbent.
Ne è Cancellis, intra quorum fines ſeſſio diœceſana habetur, exeant, niſi abſoluta ſeſſione, aut neceſſaria de cauſa.
Cum autem exire neceſſitas cogit, facultatem à R. D. Vicario generali petant.
Seſſione de more abſoluta, ne raptim, turbulenterue diſcedant, ſed graui, decoroq; inceſſu.
Caueant deniq: ab omnibus ijs, quæ & Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ſynodalis actionis dignitati, & loci venerationi minimè conueniant.
Si qui autem ſint, qui alicuius abſentiam excuſare velint, R. D. Vicarium noſtrum generalem adeant; cui illius abſentiæ rationem, & cauſam afferant, atque probent.
Si verò querelas, vel accuſationes contra quempiam delaturi ſunt, adeant multum R. D. Vicarium noſtrum generalem. D. Archidiaconum, D. Præpoſitum Cathedralis, & D. Præpoſitum Galleuertæ.

*Claudius Rangonus Epiſcopus.*

*Claudius Manara Epiſc. Curia Placentiæ Not. & Cancell.*

## *TABVLA SCRVTINII. Sacerdotalis.*

CLAVDIVS RANGONVS DEI, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Gratia Epiſcopus Placentinus, & Comes.

FVIT illud peruetus Inſtitutum Sanctorum Patrum vſu, Eccleſiæq; auctoritate comprobatum, vt in vnaquaq; Synodo Scrutinium Cleri haberetur: non vt delicta punirentur, nec vt contra examinatos procederetur (neq; enim huiuſmodi genus examinis in- actio-

actione Synodali nobis eſt propoſitum) ſed vt abuſus de quibus inquiſitio habetur, emendentur; Eccleſiaſticæq; reformationi prouideatur.

Cuius ſalutaris inſtituti ratione, atq; exemplo adducti, præcipua quædam capita ſummatim ex Pontificum ſanctionibus, Conciliorum Decretis, Synodiq; diœceſanæ potiſſimum delegimus; quæ ad mores, & ad Sacerdotalem, Clericalemq; vitam, & Eccleſiaſtica Officia, ac eorum partes maximè attinere viderentur.

Præfecti autem Synodalis Scrutinij eam ſeruent normam, quæ in ſequenti tabella tradita eſt: cuius ratio, & longior, & breuior eſſe poterit, vt magis expedire videbitur.

## *A Clero generatim.*

PRIMVM igitur communiter à Clero, nempè tam à Sacerdotibus, quàm Diaconis, Subdiaconis, & Clericis cuiuſcunq; ordinis hęc potiſſimum perquirant.

An deferant veſtem talarem.
An nimis ſordidam. An laceratam.
An Biretum Clericale, ſemperq; illud deferant, pręcipuè in Eccleſia, in Proceſſionibus, & in Ciuitate.
An tonſuram patentem, & latam, ordiniq; ſuo congruam.
An breuiarium habeant cum ſignaculis.
An ordinem recitandi officium teneant.
An recitent hora conuenienti.
An illud omittant vnquam.
An Calendarium habeant.
An ſuperpelliceum decens.
An nimis ſordidum, & laceratum.
An aliqua ex parte indecens.
An in itinere vtantur habitu Clericali.
An arma prohibita domi teneant, vel in itinere deferant.
An ſuſpectarum mulierum conſuetudine vtantur.
Quæ vitæ ratio, quæ conſuetudo, ſeu conuerſatio.
An ludis prohibitis operam dent.
An choreis, & Cauponis.
An venationibus illicitis.
An comœdijs, ſpectaculiſuè publicis interſint.
An rixis, & ſecularibus negotijs ſe immiſceant.

A Cano-

## A CANONICIS ET DIGNITATIBVS.

AN diuinis interſint officijs.
An reſideant.
An capitulariter chorum ingrediantur, & ex eo egrediantur.
An oculos habeant attentos ad Chori diſciplinam, ſtataſq; ceremonias.
An interſint capitulis, ſingulis hebdomadis celebrandis.
An in eis modeſtè, & quietè ſuam dicant ſententiam.
An onera Canonicatibus ſuis incumbentia præſtent.

## A VICARIIS FORANEIS

AN congregationes caſuum conſcientiæ habeant, & quoties in menſe, & qua ratione eas ineant.
An non intereſſentes abſque cauſa, mulctent.
An ſæpe viſitent Eccleſias ſui Vicariatus.
An viſitationum, & Conſtitutionum Decreta adimpleri curent.
An ea collegerint à Parochis, quę indigent emendatione.
An detulerint nomina eorum, qui Synodo intereſſe debent.
An per Parochos ſynodalis actio populo aliquot ante dies annunciata fuerit.
An per Parochos miſſam de Spiritu Sācto ſingulis hebdomadis quinta feria, poſtquam Synodus indicta fuit, celebrari curauerint.

## A PAROCHIS.

AN reſideant.
An in ædibus Eccleſiæ, & ibi dormiant, & cibum capiant.
An Euangelium ſingulis dominicis, & alijs feſtis diebus populo explicent, vel Homiliæ partem, aut Catechiſmi Romani in linguam vernaculam verſi in miſſa legant.
An Doctrinam Chriſtianam ijſdem feſtis diebus pueros, puellaſuę doceant.
An vnquam diebus feſtis miſſæ celebrationem intermittant in eorum Parochijs.
An à prandio Veſperas ijſdem quoq; diebus recitent.
An feſtos dies obſeruari curent, & in eis opus ſeruile fieri permittant.

An

An dies feſtos populo annuncient.
An Ieiunia. An Vigilias.
An in Eccleſias tormenta manualia, & alia armorum genera afferri permittant.
An mulieres velo caput tectum non habentes in Eccleſijs tolerent.
An Sanctiſſimi Sacramenti ſocietatem in eorum Eccleſijs inſtituerint.
An Proceſſio Sanctiſs. Sacramenti ſingulis menſibus habeatur.
An tempeſtiuè Parochianis Sacramenta miniſtrent.
An Stola, ſuperpelliceoq; induti.
An Sacramenta miniſtrent illis, qui Dominicam orationem, Symbolum Apoſtolicum, ſalutationem Angelicam, & decem decalogi præcepta ignorant.
An habeant librum ſtatus animarum ad formam in decretis traditam.
An in Paſchate non communicatos ordinario deferant.
An concubinarios publicos, &c.
An alios publicos peccatores in ſua Parochia permittant.
An Eccleſias reſtaurari, & ornari curent.
An, quæ in viſitationibus fuerunt ſibi, vel populo impoſita, adimpleri curauerint.
An pauperum, & infirmorum ſuæ Parochiæ curam gerant.
An habeant certos libros, & inter ſe diſtinctos, in quibus ſeparatim baptizatorum, confirmatorum, matrimonio coniunctorũ, & mortuorum nomina notentur, &c.
An ad formam decretorum ſint notata.
An habeant Clericum ſuperpelliceo, veſteq; talari indutum, qui in miſſæ ſacrificio, & aliorum Sacramentorum adminiſtratione eis inſeruiat.
An aſſiduè aſſiſtant, & perpetuò inuigilent gregi ſibi commiſſo.
An ad ſalutationem angelicam mane, meridie & veſperi, & ante primam noctis horam pro mortuis pulſent campanas ſingulis diebus.

## *A SACERDOTIBVS.*

AN accedant ad congregationes caſuum conſcientiæ, vel lectionem audiant.
An ad Proceſſiones accedant.
An Miſſam celebrent, &c
An quotidie, vel quoties in hebdomada.
An ex deuotione, vel obligatione beneficij, vel eleemoſinæ.

An habeant beneficia, & quot, & qualia.
An onera eis annexa adimpleant, vel adimpleri faciant.
An Miſſæ ceremoniarum ſint periti.
An frequenter peccata confiteantur, & quibus ſacerdotibus.

## A CLERICIS MINORVM ORDINVM.

AN alicui Eccleſiæ, & cui ſint adſcripti.
An functiones præſcriptas exequantur.
An ritè, rectè, & humiliter.
An ritè miſſæ ſacrificio miniſtrent.
An in Eccleſijs præſcriptis.
An confiteantur, & ſacram Communionem ſumant temporibus à Concilio Tridentino præſcriptis.
An diebus Feſtis Scholas Doctrinæ Chriſtianæ adiuuent.
An Officium Beatæ Virginis recitent.
An inſtituta vitæ Clericalis teneant.
An litteris, & ingenuis artibus operam dent, & quibus libris, & quo ludi magiſtro vtantur.
An ſacris concionibus, & Proceſſionibus interſint.

## A PAROCHIS DE POPVLO *quæratur*.

AN ſingulis Dominicis, alijſuè feſtis diebus ſint, qui miſſæ ſacrificium non audiant, vel illud non integrè.
An dies feſtos ſanctificent.
An in Eccleſijs deuotè ſe gerant.
An in Eccleſias arma, & præcipuè Sclopetos vulgo Archibuſios deferant.
An ſint plaſphemi publici.
An aliqui ſint bona Eccleſiæ, Item & decimas occupantes, fraudanteſuè.
An pueros, & puellas mittant ad Doctrinæ Chriſtianæ Scholas.
An inconfeſſi, & non communicati ſint in paſchate.
An excommunicati.
An peccatores publici.
An ſuperſtitioſè morbos curantes.

An

An ſortilegi, malefici.
An de fide ſuſpecti.
An vſurarij publici.
An coniugati abinuicem ſeparati.
An in gradibus prohibitis coniuncti abſq; Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione.

## MONITIONES PRO PRAEFECTIS *Scrutinij*.

SCiant præfecti Scrutinij Synodalis, ſe maximè teneri ad ſecretum cuſtodiendum in omnibus, quæ ſibi in examine dicentur.

Habeant libellum, in quo latino, vel vulgari ſermone ſingulorum examen diſtinctè, & ſeparatim deſcribatur.

Moneant examinandos, hoc genus examinis fieri de delictis alienis, aut de eiuſdem examinandi defectibus inquiri, non vt ea puniantur; ſed vt abuſus emendentur, emendationiſq; opportuna remedia adhibeantur.

*Claudius Rangonus Epiſcopus.*

*Claud. Manara Epiſc. Curiæ Plac. Not. & Cancell.*

### PRAEFECTI HOSPITIORVM.

Reu. D. Camillus Ramignanus Vicedominus.
R. D. Iulius Rebufus Canonicus Cathedralis.
R. D. Sigiſmondus Caſalis I. V. D.
R. D. Florentius Gropallus, Canoni. S. Antonini.

### PRAEFECTI SCRVTINIO.

Reu. D. Pœnitentiarius Cathedralis.
R. D. Petrus Gigius Præpoſitus Santi Vlderici.
R. D. Cæſar Marçtus Prior Santi Dalmatij.

### IVDICES QVERELARVM.

Reu. D. Vicarius Generalis.
R. D. Auguſtinus Archidiaconus Cathedralis.
R. D. Torquatus Tort. I. V. D. Eccl. Cath. Præp.
R. D. Io. Franciſcus Mugiaſcha Præpoſitus Galliuertæ, & Prothonotarius Apoſtolicus.

### SECRETARIVS.

Reu. D. Ioſephus Frandolinus Archipræsbyter Duliariæ.

### PROMOTOR.

Reu. D. Iacobus Lodula I. V. D. Canonicus Eccleſiæ Cathedralis.

MA-

## MAGISTRI CEREMONIARVM.

Reu. D. Ant. Maria Pugnetus Præbendarius, &
R. D. Ioan. Andreas Dionus Præbendarius, & Magiſter Ceremoniarum.

## CANCELLARIVS.

D. Claudius Manara primus Curiæ Epiſcopalis Cancellarius.

## IVDICES SYNODALES.

Reu. D. Auguſtinus de Clericis I. V. D. Archidiaconus Eccleſiæ Cath.

R. D. Torquatus Tort. I. V. D. Eccl. Cath. Præpoſitus.

R. D. Ferdinandus Fallopia I. V. D. prædictæ Eccleſiæ Archipresbyter.

R. D. Rugerius Affaticatus I. V. D. prædictæ Eccleſiæ Decanus.

R. D. Iacobus Lodula I. V. D. prædictæ Eccleſiæ Canonicus.

R. D. Aurelius Marachius I. V. D. prædictæ Eccleſiæ Canonicus.

R. D. Paulus Sopranus I. V. D. Eccleſiæ Santi Antonini Præpoſitus.

R. D.

R. D.Io.Franciſcus Mugiaſcha I. V. D. Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Galliuertæ Præpoſitus.

R. D. Petrus Gigius I. V. D. Sancti Olderici Præpoſitus.

*EXAMINATORES SYNODALES.*

Omnes prænominati in Iudices Synodales Inſuperquè.

R. D. Daniel Garatula Theo. Doc. & Cathe. Can.

R. D.Io.Barberius Pœnitentiarius Theol.Doct.& Cath. Canonicus.

R. D. Cæſar Maretus. I.V.D.& Prior Sancti Dalmatij.

R. D. Ioſephus Frandolinus Theol. Doct. & Archip. Duliariæ.

R. D. Petrus Franciſcus Palaſtrellus I.V.D. Can. Regularis Sancti Auguſtini.

R. P. Dominicus Sanct. Seuerinus Ord. Pred.

R. P. Iulius Magnanus Ord. Sancti Franciſci Conuentualium.

R. P. Petrus Franciſcus Barberius Ord. Seruorum.

R. D. Præpoſitus Sancti Vincentij Congregationis Theatinorum.

R. D. Rector Santi Petri Societatis Ieſu.

*TESTES SYNODALES VRBANI.*

R. D. Io. Barberius Doctor Theolog. Canonic. Penitent. Cath.

R. D. Baſsianus Martinellus Præp. S. Alexandri.

R. D. Baſsianns Boſonus Rector Sãctę Margaritę.

R. D. Io. Ant. Capra Prior Sancti Saluatoris.

R. D. Petrus Antonius Barba Rector Sanctæ Marię Zeroalium.

*TESTES SYNODALES DIOECES.*

R. D. Hippolitus Muſſus Archip. Sancti Imenti.

R. D. Ioſeph. Frandolinus Archipræsb. Duliariæ.

R. D. Io. Baptiſtæ Sabellius Archip. Caſtri S. Io.

R. D. Bartholomeus Archipr. Fombij.

R. D. Io. Thom. Garganus Archipr. Broni.

R. D. Cæſar Paganus Rector S. Barth. Strellæ & Vicarius For. Complani.

R. D. Nicolaus Gramigna Cano. Caſtri Arquati.

R. D. Aurelius Coſterboſa Vicarius Foraneus Bur. Vallis Tarri.

R. D. Chriſtofarus Archipresbiter Pontis Nuri.

R. D. Petrus Ant. Archip. Fortunaghi, & I. V. D.

*Methodus Synodi & alia multa, quæ ſunt in præcedenti Synodo, poſita omittuntur.*

Con-

# CONSTITVTIONES ET DECRETA APOSTOLICA,

De quibus in præſenti Synodo mentio habetur.

## *Conſtitutio S. D. N. Pij Papæ quarti ſuper forma profeßionis Fidei.*

*Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

INiunctum nobis Apoſt. ſeruitutis officium requirit, vt ea, quæ D. omnipotẽs, ad prouidam Eccleſiæ ſuæ directionem, ſanctis Patribus in nomine ſuo congregatis diuinitus inſpirare dignatus eſt, ad eius laudem, & gloriam incunctanter exequi properemus. Cum itaq; iuxta Concilij Trid. diſpoſitionem omnes, quos deinceps Cathedralibus, & ſuperioribus eccleſijs præfici, vel quibus de illarum dignitatibus, Canonicatibus, & alijs quibuſcunque beneficijs eccleſiaſticis curam animarum habentibus, prouideri continget, pub. Orthodoxæ fidei profeſsionem facere, ſeq̃ in Ro. Eccleſię obedientia permanſuros ſpondere, & iurare teneantur: Nos volentes, etiam per quoſcunque, quibus de monaſterijs, conuentibus, domibus, & alijs quibuſcunq; locis Regularium,

larium quorumcunq; Ordinum, etiam Militiarum quocunq; nomine, vel titulo, prouidebitur, idem ſeruari: & ad hoc, vt vnius eiuſdẽ fidei profeſsio vniformiter ab omnibus exhibeatur, vnicaq;, & certa illius forma cunctis innoteſcat, noſtræ ſolicitudinis partes in hoc alicui minimè deſiderari, formam ipſam præſentibus annotatam publicari, & vbiq; gentium per eos, ad quos ex decretis ipſius Concilij, & alios prædictos ſpectat, recipi, & obſeruari, ac ſub pœnis per Concilium ipſum in contraueniẽtes latis, iuxta hanc, & non aliam formam, profeſsionem prædictam ſolenniter fieri authoritate Apoſt. tenore præſentium diſtrictè præcipiẽdo mandamus, huiuſmodi ſub tenore.

*FORMVLA PROFESSIONIS FIDEI.*

EGO N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Romana Eccleſia vtitur, videlicet.

Credo in vnum Deũ, Patrem omnipotentẽ, factorẽ cœli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, filium Dei vnigenitum. Et ex Patre natũ ante omnia ſæcula. Deum de Deo, lumen de lumine; Deum verum de Deo vero. Genitum, nõ factum,

conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcẽdit de cęlis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt. Et reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas. Et aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram patris. Et iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos; cuius regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum, Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, Filioq; procedit. Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur; qui locutus eſt per Prophetas. Et vnam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Cõfiteor vnum Baptiſma in remiſsionem peccatorum Et expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquasq; eiuſdem Eccleſiæ obſeruationes, & conſtitutiones firmiſsimè, admitto, & amplector. Item Sacrã Scripturam iuxta eũ ſenſum, quẽ tenuit, & tenet Sãcta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum Scripturarum admitto; nec eam vnquã, niſi iuxta vnanimẽ conſenſum patrũ, accipiã, & interpretabor. Profiteor quoq; ſeptem eſſe verè, & propriè Sacramenta nouæ legis, à Ieſu Chriſto Domino Noſtro inſtituta,

tuta,

tuta, atq; ad ſalutem humani generis, licèt non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicèt, Baptiſmũ, Confirmationem, Euchariſtiam, Pęnitentiam, Extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; illaq; gratiam conferre: & ex his Baptiſmũ, Confirmationem, & Ordinem, ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoq;, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſupradictorũ omniũ Sacramẽtorum ſolenni adminiſtratione recipio, & admitto: omnia, & ſingula, quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in ſacroſãcta Tridẽtina Synodo definita, & declarata fuerũt, amplector, & recipio: Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatoriũ ſacrificiũ, pro viuis, & defunctis; atq; in Sanctiſsimæ Euchariſtiæ Sacramento eſſe verè, realiter, & ſubſtãtialiter corpus, & ſanguinẽ, vnà cũ anima, & diuinitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti; fieriq; cõuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem; quã conuerſionẽ Catholica Eccleſia Trãſubſtantiationẽ appellat. Fateor etiam ſub altera tantùm ſpecie totum, atq; integrum Chriſtum, verumq; Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animasq; ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari. Similiter & Sanctos, vnà cum Chriſto regnantes venerandos, atq; inuocandos eſſe: eoſq; oratio-

nes Deo pro nobis offerre, atq; eorum reliquias eſſe venerãdas. Firmiſsimè aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas eſſe, atq; eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem, à Chriſto in Eccleſia relictã fuiſſe; illarumq; vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem eſſe affirmo: Sanctã Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco. Romanoq; Pontifici, Beati Petri Apoſtolorum principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac iuro: cętera item omnia à ſacris Canonibus, & œcumenicis Concilijs, ac præcipuè à ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata indubitanter recipio, atq; profiteor: ſimulque contraria omnia, atq; hæreſes quaſcunq; ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſpontè profiteor, & veraciter teneo, eandem integrã, & inuiolatam vſq; ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſsimè (Deo adiuuante) retinere, & confiteri, atq; à meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doce-

ri,

ri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voueo, ac iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

Volumus autem, quòd præſentes litteræ in Cancell. noſtra Apoſtolica de more legantur. Et, vt omnibus faciliùs pateant, in eius Quinterno deſcribantur, ac etiam imprimantur. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam noſtræ voluntatis, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotẽtis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ, apud S. Petrum, Anno incarnat. Dominicæ 1564. Id. Nouemb. Pont. noſtri anno quinto.

Fed. Card. Cæſius.

Cæſ. Glorierius.

FOR-

## *FORMVLA IVRAMENTI*
### *exigendi ab omnibus de Beneficio prouidendis.*

EGO N. de Eccleſia, N. vel Beneficio ſeu Canonicatu N. Pontificia vel Ordinaria Authoritate prouiſus, Iuro, quòd ero fidelis, & obediens Sanctæ Sedi Apoſtolicæ, ac Reuerendiſs. Epiſc. Placentino, & cuicunq; eius legitimo ſucceſſori, ac eius mãdata ſeruabo, & ea pro poſſe ſeruari faciã, videlicèt ſententias, ſtatuta, & Cõſtitutiones.

Quòd iura, & libertates Eccleſiæ conſeruabo, & defendam, & vtilia procurabo ſicut tutor.

Quòd poſſeſsiones, vel bona Eccleſiæ non uendam, neq; donabo, neq; oppignerabo, vel aliquo modo citra iuris diſpoſitionem alienabo, immo malè alienata pro parte mea virili recuperabo.

Quòd Eccleſię ipſi, (vel beneficio) in diuinis per me ipſe deſeruiã, & in ea reſidebo (ſi perſonalẽ requirit reſidentiã) Neq; relinquã, vel ad aliam me trãſferam Eccleſiam ſinẽ ipſius Epiſcopi licentia.

Iuro item, quòd nihil dedi, vel promiſi, vel illicitum pro adipiſcẽda Eccleſia, (ſeu beneficio) commiſi.

Quòd Inuentarium bonorum ipſius Eccleſiæ, (ſeu Beneficij, vel Canonicatus) quamprimùm poterò faciã, & intra tres menſes Epiſcopo exhibebo.

Quòd ordines requiſitos ſuo tẽpore recipiam (ſi ipſe non erit ordinatus) ſic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

*c. Epiſc N. cum ſeq. de iur. iuran. c. a cum Clerici de verb. ſignifi. c. forma 22 q. vltima.*

*c. cum ab Eccleſiarum & c. ad reprimendam de offi ordin. c qui reſiſtit 11. q. 3.*

*l. vltima §. omnẽ C. de admin tut.*

*c. Abbatib. 12. q 2. c ſi quis præsbyterorum de reb. Eccleſia nõ alie nand.*

*c. 2. de rerũ permut.*

*c. vlt. de reſcriptis in 6. c. quia nonnulli.*

*c. relatũ de cler. non reſid.*

*c. admonet de renũtiationibus.*

*c vltimo de pactis c. nobis de ſimonia.*

*c quaris de etate, & qualitate ordinandorũ. c licet canon de elect. in 6*

SI VERO ERIT DE IVRE PATRONATVS *iuret inſuper.*

EGO N. nominatus, & præſẽtatus, vel electus ad beneficium N. iuro, me beneficij obtinendi cauſa, neq; quemquam nomine meo, ſciente me, quidquam Collatori, Patrono, ſeu cuiquam alij, ea de cauſa promiſiſſe, aut dediſſe, vel compenſaſſe; aut priùs datum confirmaſſe, vel apud quempiam depoſuiſſe, vel quidquam quocunq; modo debitum remiſiſſe; nec de domibus, terris, prædijs, redditibus Eccleſiæ, ſeu beneficij fructibuſué, decimis, aut oblationibus eiuſdem beneficij præteritis, præſentibus, & futuris, donationem, remiſsionem, locationemué feciſſe, promiſiſſe, aut iniuiſſe; aut alium, ſciente me, nomine meo promiſiſſe, feciſſe, iniuiſſe. Ita me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

# CONSTITVTIO LEONIS X. SVPER generali Clericorum & Laicorum reformatione.

*De blaſphematorum pœnis de quibus infr. Pij V. conſtitut.*

LEO Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam, ſacro approbante Concilio &c.

¶ Ad abolendam verò execrabilem blaſphemiam, quæ in maximum diuini nominis, & ſanctorum contemptum ſupra modum inualuit, ſtatuimus, & ordinamus, vt quicunq; Deo palam, ſeu publicè maledixerit, contumelioſiſq;, atq; obſcœnis verbis Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & Glorioſam Virginem Mariam eius genitricem expreſsè blaſphemauerit, ſi munus publicum, iuriſdictionemuè geſſerit, perdat emolumenta trium menſium pro prima, & ſecunda vice dicti officij; ſi tertiò deliquerit, illo eo ipſo priuatus exiſtat: ſi Clericus, vel Sacerdos fuerit, eo ipſo, quod de delicto huiuſmodi fuerit conuictus, etiam beneficiorum, quæcunq; habuerit, fructibus applicandis vt infra, vnius anni mulctetur; & hoc ſit pro prima vice, qua blaſphemus ita deliquerit. Pro ſecunda verò, ſi ita deliquerit, & conuictus, vt præfertur, fuerit, ſi vnicum habuerit beneficium, eo priuetur; ſi autem plura, quod Ordinarius maluerit, id amittere cogatur. Quod ſi tertio eius ſceleris arguatur, & conuincatur, dignitatibus, ac beneficijs omnibus, quæcunq; habuerit, eo ipſo priuatus exiſtat, ad eaq; vlterius retinenda inhabilis reddatur; eaq; liberè impetrari, & conferri poſſint. Laicus vero blaſphemãs, ſi Nobilis fuerit, pœna 25. ducat. mulctetur & pro ſecunda vice quinquaginta, fabricæ Baſilicæ Principis Apoſtolorum de vrbe applican. & alijs vt infrà deducitur. Pro tertia verò nobilitatem perdat. Si verò Ignobilis, ac Plebeius fuerit, in carcerem detrudatur; quòd ſi vltra duas vices publicè blaſphemans deprehenſus fuerit, mitra infami per integram diem ante fores Eccleſiæ principalis mitratus ſtare cogatur; ſi vero pluries in hoc ipſum peccatum lapſus fuerit, ad perpetuos carceres, vel ad triremes damnetur ad iudicis deputati arbitrium. In foro autem conſcientiæ, nemo blaſphemiæ reus abſq; grauiſſima pœnitentia ſeueri

Con-

Conſeſſoris arbitrio iniuncta, poſſit abſolui. Qui verò reliquos ſanctos blaſphemauerit, arbitrio iudicis rationem perſonarum habituri, mitiùs aliquantò puniri volumus. Statuimus etiam, vt ſeculares iudices, qui contra tales blaſphemiæ conuictos nō animaduerterint, eoſq; iuſtis pœnis minimè affecerint, quantum in eis fuerit, quaſi eidem ſceleri obnoxij, eiſdem quoq; pœnis ſubijciantur. Qui verò in illis inquirendis, puniendiſq; diligentes, & ſeueri fuerint, pro qualibet vice decem annorum Indulgentiā conſequantur, & tertiam partem mulctæ pecuniariæ habeant. Quicunq; verò blaſphemantem audierint, eum verbis acriter obiurgare teneātur, ſi citra periculum ſuum id fieri poſſe continget, eundemq; deferre, vel notificare apud iudicem Eccleſiaſticum, ſeu ſecularem intra triduum debeant. Quòd ſi plures dictum blaſphemantem ſimul audierint, ſinguli eum accuſare teneantur; niſi fortè omnes conuenerint, vt vnus pro cunctis tali fungatur officio. Quos omnes in virtute Sanctæ obedientiæ hortamur, & monemus in Domino, vt pro Diuini nominis reuerentia, & honore in ſuis dominiis, ac terris præmiſſa omnia ſeruari, & exactiſſimè exequi mandent, ac faciant, vberrimam ab ipſo Deo tam boni, ac pij operis mercedem habituri, ſimilemq; annorum decem Indulgentiam, ab Apoſtolica ſede conſecuturi, cum tertia parte mulctæ, qua dictus blaſphemus plectetur, quoties tale ſcelus puniendum curauerint. Quam quidem Indulgentiam, & reliquam tertiæ mulctæ partem accuſatori blaſphemi nomen deferenti ſimiliter concedi, & aſſignari volumus; alijs pœnis contra huiuſmodi blaſphemos per Sacros Canones expreſſis, nihilominus in ſuo robore manentibus.

*De Iudicū nō punien. blaſphematores pœnis & eos punientium Indulgentijs.*

*Indulgentia notifican. Blaſphemos.*

Vt Clerici præſertim caſtè, continenterq; iuxtà canonum, præcepta viuant, ſtatuimus, vt contrafacientes acriter ſecundum Canones puniantur. Si qui vero, tam Laicus, quàm Clericus de Crimine, propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ, conuictus fuerit; pœnis per Sacros Canones, aut ius Ciuile reſpectiuè impoſitis puniatur.

*De Clericis incontinentibus de quibus vide infr. Pij.V. Cōſtitut.*

Concubinarij autem, ſiue Laici, ſiue Clerici fuerint, eorundem Canonum pœnis mulctentur, neq; ſuperiorum tolerantia, ſeu praua conſuetudo, quæ potius corruptela dicenda eſt, à multitudine peccantium, aliaue quælibet excuſatio, eis aliquo modo ſuffragetur; ſed iuxtà iuris cenſuram ſeuerè puniantur. Ad bonum vero, & quietum regimen Ciuitatum, ac locorum omnium Romanæ Eccleſiæ ſubiectorum, Cōſtitutiones bonæ memoriæ Egidij Epiſco-

*De Cōcubinarijs.*

pi ſabinen.olim editas innouamus,eaſq; inuiolabiliter ſeruari præcipimus, & mandamus.

*De Simoniacis de quibus habes inf. Pij V. Conſtitutionem.*

Et vt nefariæ ſimoniæ labes,ac peſtis non ſolum à Romana Curia, ſed ex omni etiam Chriſtiana dictione in perpetuum eijciatur,Conſtitutiones per anteceſſores noſtros, etiam in Sacris Concilijs contra huiuſmodi Simoniacos editas innouamus, eaſq; inuiolabiliter ſeruari præcipimus; ac pœnas in eis contentas pro expreſſis, & inſertis haberi, & delinquentes etiam auctoritate noſtra affici volumus.

*De Clericis omittẽtibus dicere offic.*

Statuimus quoq;, & ordinamus, vt quilibet habens beneficium cum cura, vel ſine cura,ſi poſt ſex menſes ab obtento beneficio,diuinum officium non dixerit, legitimo impedimento ceſſante, beneficiorum ſuorum fructus ſuos non faciat pro rata omiſſionis recitationis officij, & temporis, ſed eos tamquam iniuſtè perceptos in fabricas huiuſmodi beneficiorum vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Si verò vltra dictum tempus in ſimili negligentia contumaciter permanſerit, legitima monitione præcedente, beneficio ipſo priuetur; cum propter officium detur beneficium. Intelligatur autem officium omittere, quo ad hoc, vt beneficio priuari poſſit,qui per quindecim dies illud bis ſaltem non dixerit, Deo tamen vltra præmiſſa,de dicta omiſſione redditurus rationem.Quæ pœna in habentibus plura beneficia reiterabilis toties ſit, quoties contrafacere conuincatur.

Et cum fructuum Eccleſiarum Cathedralium, & Metropolitanum Monaſteriorumq; & aliorũ quorumcunq; beneficiorum Eccleſiaſticorum plenaria diſpoſitio, & adminiſtratio, ad nos, & Rom. Pont. pro tẽpore exiſtentes, & illos etiam, qui eiuſmodi Eccleſias, Monaſteria, & beneficia iure, & canonicè obtinent, ſolùm pertineant, ſecularesq; Principes omni etiam diuino iure id prohibente, dictis Eccleſijs, Monaſterijs, ac beneficijs intromittere ſe nullatenus debeant, Statuimus, & ordinamus, vt fructus, reditus, & prouentus Eccleſiarum, Monaſteriorum, ac beneficiorum per ſeculares vllos Principes, etiam ſi Imperator, Reges, Reginæue,ſeu reſpub. vel potentatus fuerint, aut per eorum officiales, ſeu iudices etiam Eccleſiaſticos, vel quaſcunq; alias perſonas publicas, vel priuatas, de eorundem Imperatoris,Regum,Reginarum, ac Principum, rerumq; publicarum, vel potentatuum mandato ſequeſtrari, occupariue, aut modo aliquo detineri, ipſiq; huiuſmodi Eccleſias, Monaſteria, ac beneficia obtinen. ſub prætextu fabricæ, inſtaurationiſq; ſine Roman. Pont. pro tempore exiſtentis expreſſa li-

*De ſecularibus principibus, et alijs occupãtibus beneficiorũ fruct. &c.*

ſa licentia, aut eleemoſinarum, ſeu quouis alio colore, aut fuco, impediri non debeant, quominùs de illis, vt anteà liberè, ac ſine impedimento diſponere valeant, & ſi ſequeſtrati fuerint, occupatiue, aut detenti, integrè, libereq; ac ſine exceptione, vel mora, prælatis ad quos de iure, legitimeq; ſpectant, reſtituantur; de quibus, ſi diſſipati nuſquam reperiri poſſint, eorum iuſta æſtimatione facta, dictis prelatis ſatisfieri volumus per eos, qui dictas ſequeſtrationes, applicationes, diſſipationeſq; fecerint, aut fieri mandauerint; ſub pœna excommunicationis, aut interdicti Eccleſiaſtici talium Principum terris, & dominio, eo ipſo incurrendis; & vt eorum, ac eiſdem ſubiectorum bona vbicunq; reperta, ſi moniti parere noluerint, capi, & retineri poſſint. Ipſi verò contrafacientes tam ſupradictis pœnis quàm priuationis feudorum, & priuilegiorum, quæ à nobis, & à Romana, vel alijs Eccleſijs nunc, & pro tempore obtinuerint, & alijs contra violatores, & oppreſſores libertatis Eccleſiaſticæ, etiam per extrauagantes, & alias conſtitutiones, etiam incognitas, & forſan in vſu non exiſtentes impoſitis, quas, earum omnium tenores pro expreſſis, & inſertis habentes innouamus, ac perpetuum firmitatis robur habere decernimus, & declaramus, ac ſecundum eas, per quoſcunq; iudices, etiam Sanctæ Rom. Eccleſiæ Card. ſublata, & adempta eis aliter iudicandi, declarandiq; poteſtate, ſententiari, iudicari, & interpretari debere volumus, atq; mandamus.

*De impedientibus libertatē Eccleſiaſticam.*

Et cum à iure tam diuino, quàm humano Laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit, innouamus omnes & ſingulas Cōſtitutiones fe. re. Bonifac. Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Felicis, & Clemen. V. quæ incipit, Si quis ſuadente, nec non quaſcunq; alias Apoſtolicas ſanctiones in fauorem libertatis Eccleſiaſticæ, & contra eius violatores quomodolibet editas, & pœnis etiam contra talia præſumen. in bulla, quæ legitur in Cœna Domini, contentis, in ſuo robore permanſuris. Et cum in lateranenſi pariter, ac Concilijs generalibus ſub excommunicationis pœna prohibitum fuerit, ne Reges, Principes, Duces, Comites, Barones, reſpublicæ, & alij potentatus, quicunq; Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus ac terris quoquomodo præſiden. collectas decimas, & alia huiuſmodi onera, Clericis, Prælatis, & alijs quibuſcunq; perſonis Eccleſiaſticis imponant, exigantq; nec à ſponte etiam dantibus, & conſentientibus etiam recipiant, atq; in præmiſſis auxilium fauorem, conſiliumue palàm, vel occultè præſtan-

tes, in excommunicationis latæ ſententiæ pœnam eo ipſo incidant, & ipſæ quoq; Reſpub.ac communitates, & vniuerſitates circa hoc quomodolibet delinquentes, Eccleſiaſtico eo ipſo ſubijciantur interdicto, Prælati etiam præmiſſis abſq; Rom. Pont. expreſſa licentia vltro conſentien. excommunicationis, & depoſitionis pœnam ipſo facto incurrant. Statuimus, & ordinamus, vt de cætero talia præſumentes, etiam ſi ( vt præfertur ) qualificati fuerint, vltra ſupra dictas pœnas, quas contrauenientes eo ipſo incurrere volumus, innouamus, ad omnes actus legitimos inhabiles, & inteſtabiles habeantur.

*De maleſicis, & Incantatoribus.*

Et cum ſecundum leges ciuiles, & ſacrorum canonum cenſuras, ſortilegia per inuocationem dæmonum, incantationes, ac diuinationes, ſuperſtitiones prohibitæ ſint, Statuimus, decernimus, & ordinamus, vt Clerici, qui in præmiſſis culpabiles inuenti fuerint, arbitrio ſuperiorum infamia notentur; ſi vero non deſtiterint, deponantur, atq; in Monaſterium ad tempus arbitrio ſuperioris præfiniendum detrudantur, beneficiiſq; & officijs Eccleſiaſticis priuentur. Laici verò vtriuſq; ſexus, excommunicationis, & alijs pœnis iuris, tam Ciuilis, quàm Canonici ſubiaceant.

*De Hæreticis.*

Et vt omnes ficti Chriſtiani, ac de fide malè ſentientes, cuiuſcunq; generis, aut nationis fuerint, nec non hæretici, ſeu aliqua hæreſis labe polluti, vel Iudaizantes, à Chriſtifidelium cætu penitus eliminentur, & à quocunq; loco & præſertim a Rom. Curia expellantur, ac debita animaduerſione puniantur, ſtatuimus vt contra eos diligenti inquiſitione vbique & in dicta curia maxime, procedatur per iudices per nos deputandos & eius criminis reos & legitimè conuictos, debitis pœnis puniri, relapſos verò abſq; vlla ſpe veniæ aut remiſſionis, affici volumus.

*Hæc conſtit. omnes ligat.*

Et cum Conſtitutiones & ordinationes noſtræ huiuſmodi quas pro nunc ordinamus, vitam, mores, Eccleſiaſticamq; diſciplinam concernant, tam officiales noſtros, quàm alios, tam in Rom. Cu. quam extra vbiq; locorum commorantes, imitari conuenit, illis ligari, eoſq; ad eorum obſeruationem inuiolabiliter teneri volumus atq; decernimus, & ne Conſtitutiones ipſæ alijs cenſuris ac pœnis in contrafacientes per antiqua iura & Conſtitutiones impoſitis, derogare in aliquo videatur, cum ad augumentum editæ atq; excogitatæ fuerint, etiam declaramus per earum diſpoſitiones, ordinationeſq; nihil prorſus iuri communi, vel Decretis aliorum Rom. Pont. vllatenus derogatum eſſe. Quinimmo ſi qua in eis propter peruerſam temporum, aut

locorum, aut hominum corruptelam, vel abuſum, aut quamcunq; aliam cauſam minimè probandam, vigorem ſuum amiſerint, ea ex nunc innouamus, confirmamus, & inuiolabiliter obſeruari mandamus. Quas noſtras conſultiſſimas Conſtitutiones poſt duos menſes ab earum publicatione, ligare debere etiam decernimus, & declaramus; diſtrictiùs inhibentes ne quis eas gloſſare, vel ſuper eis commentaria, interpretationeſue facere, abſq; ſpeciali noſtra vel Sedis Apoſtolicæ licentia, præſumat.. Si quis autem auſu temerario contrauenerit, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam eo ipſo incurrat. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, ſanctionis, reformationis; intentionis, ordinationis, exhortationis, monitionis, præcepti, voluntatis, innouationis, confirmationis, mandati, Decreti, declarationis, & inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ in publica ſeſſione, in lateranen. ſacroſancta Baſilica ſolenniter celebrata, Anno Incarnationis Dominicæ, milleſimo Quingenteſimo quinto decimo, tertio nonas Maij, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

*Conſtit. iſta ligat poſt duos menſes à die publicationis et Interpretari nō poteſt ſine licentia Sedis Apoſtolicæ.*

# CONSTITVTIO PII QVINTI de obſeruātia Diuini cultus, & pauperum mendicantium tempore diuinorum Offic. Ac Dierum Feſtorum veneratione pœniſq; Simoniacorum Blaſphematorum Concubinariorum & Sodomitarum.

## *PIVS EPISCOPVS SERVVS, SERVORVM Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

CVM primum &c.

Vt igitur Deo Optimo Maximo, Glorioſæ Virgini, & Sanctis omnibus debitus honor deferatur, Gregorij X. prædeceſſoris noſtri

*Diuini cultus obſeruantia ab omnib. teneatur, & contrauenientes pœnis hic deſcriptis afficiantur.*

ſtri Conſtitutionem innouantes, ac ſtatuta in Tridentino Concilio obſeruari volentes, Statuimus, & ordinamus, vt ad Eccleſias ſit humilis, & deuotus ingreſſus, quieta conuerſatio, deuotis orationibus inſiſtant, & omnes genibus flexis Sanctiſſimum Sacramentum adorent, ad nomen Ieſu Chriſti domini noſtri cum exhibitione reuerentiæ caput inclinent, nullus in dictis Eccleſijs ſeditionem faciat, tumultum excitet, clamores moueat; impetumue committat, ceſſent vana, fœda & profana colloquia, riſus immoderati, & ſtrepitus omnes iudiciorum, & alia quæcunq;, quæ diuinum officium perturbare poſſunt. Nullus intra Eccleſias deambulare audeat, ſiue præſumat, dum celebrantur ſacra Miſſarum myſteria, & alia diuina officia. Qui verò prædicta petulanti animo contempſerint, præter diuinæ vltionis acrimoniam, noſtri quoq; arbitrij pœnas incurrent, quæ omnia locorum quoq; Ordinarij in ſuis Eccleſijs facient obſeruari. Quicunq; verò in Eccleſijs, dum ibi ſacrificium Miſſæ, & diuina celebrantur officia, aut verbum Dei prædicatur, deambulare, vociferari, aut verſo tergo ad Sanctiſſimũ Sacramentum irreuerenter ſedere, aut aliquid, quod ſcandulum generet, aut diuina perturbet officia, facere præſumpſerit, pœnam vigintiquinq; ducatorum incurrat, præter alias arbitrio noſtro imponendas, & moderandas pœnas, & qui non habebit in ære luet in corpore, aut exilio mulctabitur. Qui verò in Eccleſijs cum mulieribus impudicis, ſiue etiam honeſtis colloquiũ ſcurrile habuerit, aut alios inhoneſtos actus fecerit, vigintiquinq; ducatorũ pœnam incurrat, & carceris per menſem. Qui in Eccleſijs, vt ſupra, obſcænis, & inhoneſtis verbis aut ſignis vſus fuerit, aut alia fœda colloquia cum perſonis quibuſcunq; habuerit, decem aureorum pœna mulctetur, aut aliàs corporaliter puniatur. Mandamus præterea omnibus & ſingulis Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium Eccleſiarum capitulis, rectoribus, Vicarijs Sacriſtis, oſtiarijs, & alijs ipſarum cuſtodibus quatenus præfatos omnes in Eccleſijs delinquentes admoneant, & vt in eis vetita fieri non permittãt, vel ſaltem ipſis Ordinarijs, vel officialibus noſtris puniendos deferant, quod ſi facere neglexerint, pœnam duorum aureorum vice qualibet incurrent.

*Pauperes in Eccleſijs eleemoſynas pete*

Pauperes quoq; mendicantes, ſeu eleemoſynas petentes per Eccleſias tempore miſſarum, prædicationum, aliorumq; diuinorum officiorum ire non ſinant, ſed eos ad valuas Eccleſiarum ſtare faciant, ſub pœna duorum aureorum capitulis infligenda pro qualibet vice, niſi

eos eijci curauerint, & parochis dimidij aurei. Religioſis etiam Clauſtralibus, ſiue Regularibus præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, vt in Eccleſijs ſuis deputent aliquem, qui tales eijciat, & ſi negligentes fuerint, grauiſſimè ab Ordinario corripiantur, quod ſi illi parere recuſauerint grauiſſimas pœnas incurrent, & pro qualitate perſonarum etiam corporaliter punientur arbitrio noſtro, ſiue ſuperiorum.

*re nō permittuntur dum diuina celebrātur officia.*

*Cadauerũ Depoſita, moueātur.*

Et vt in Eccleſijs nihil indecens relinquatur, ijdem prouideant, vt capſæ omnes, & depoſita, ſeu alia cadauerum conditoria ſuper terram exiſtentia omnino amoueantur, prout aliàs ſtatutum fuit, & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur.

*De diebus feſtis obſeruandis.*

Cum verò dierum feſtorum obſeruatio ad Dei cultum maximè pertineat, & in lege diuina præcipiatur, cupientes abuſus prauos, qui ex eorum inobſeruantia inualuerunt, omnino corrigere, & antiquorum canonum ſtatuta renouantes mandamus, vt omnes Dies Dominici, & præcipuè in honorem Dei, Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorum Apoſtolorum feriati, cum omni veneratione obſeruentur, & omnes in diebus præfatis Eccleſias frequentent, diuinis officijs deuotè intendant, ab omni illicito, & ſeruili opere abſtineant, mercatus non fiant, profanæ negociationes, & iudiciorum ſtrepitus conquieſcant. Qui verò in diebus præfatis opus aliquod illicitum feciſſe deprehenſus fuerit, præter diuinam vltionem, & amiſſionem animalium, quibus ad vecturam vtetur, etiam graues pœnas incurret arbitrio noſtro, ſeu Vicarij noſtri in Vrbe. In alijs autem locis arbitrio Ordinariorum, vel aliorum magiſtratuum, ita vt præuentioni locus ſit. Quibus omnibus diſtrictè præcipimus, vt hæc diligenter, obſeruari procurent; illas etiam feſtiuitates, quæ iuxta conſuetudinem locorum ſolenniter celebrari conſueuerunt, iuxta laudabilem Cõſuetudinem debita cum reuerentia obſeruari faciant, ſub pœnis arbitrio ipſorum imponendis, & moderandis.

*Simoniacorum pœnæ ad quod vide etiam Cõc. Trid. ſeſſ.24.ca.14.de ref.*

Et vt ſimoniacę prauitatis labes prorſus aboleatur, Conſtitutiones anteceſſorum noſtrorum contra ſimoniacos, editas & præſertim Pauli II. inuiolabiliter obſeruari mandamus, & delinquentes tam in ſacrorum ordinum receptione, quàm in beneficiorum aſſecutione, ſtatutis etiam inferius pœnis noſtra auctoritate affici volumus. Quicunq; igitur deteſtabile crimen Simoniacæ prauitatis cõmiſiſſe conuictus fuerit in conſequendis ordinibus, eo ipſo ſit ab illorũ executione per decenniũ ſine ſpe diſpēſationis ſuſpēſus, & per annum carceribus mancipetur. Qui dignitates Eccleſiaſticas ſimoniacè

niacè acquiſiuerit, illis ſit ipſo iure priuatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quaſcumq; alias obtinendas. Qui beneficium, aut officium Eccleſiaſticum ſimoniacè adeptus fuerit, illis ſimiliter ſit ipſo iure priuatus, & ad fructuum omnium quos perceperit, reſtitutionem teneatur, & perpetuò ſit inhabilis ad ea, & quæcunq; alia beneficia Eccleſiaſtica obtinenda. Si quis autem tale crimen pluries commiſiſſe conuictus fuerit, præter ſupradictas pœnas etiã corporaliter puniatur, & ab ordinibus Eccleſiaſticis degradatus à fidelium conſortio eijciatur. Qui verò ordines, & beneficia ſimoniacè contulerint, pœnis à iure ſtatutis puniantur, cuiuſcunq; gradus, conditionis, & dignitatis, etiam ſi Epiſcopi, Archiepiſcopi vel maiores fuerint. Caueant præterea quicunq; ne in Sacramentorum exhibitione Simoniacum aliquid faciant, alioquin grauiſſimè puniantur per locorum Ordinarios, qui huiuſmodi criminis reos cum maxima ſeueritate coercere procurent, iuxtà Cõcilij Tridentini ſtatuta.

*Blaſphemãtiũ pœnæ.* Ad abolẽdum verò nefarium, & execrabile blaſphemiæ ſcelus, quod in antiqua lege Deus morte puniri mandat, & imperialibus quoq; legibus receptum eſt, nunc autem propter nimiam iudicum in puniendo ſegnitiem, vel potiùs deſuetudinem, ſupra modum inualuit, Leonis X. prædeceſſoris noſtri in nouiſſimo Lateranenſi Concilio ſtatuta innouantes, Decernimus vt quicunq; Laicus Deum, & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, velGlorioſam Virginẽ Mariam eius genitricem expreſsè blaſphemauerit pro prima vice pœnam vigintiquinq; ducatorum incurrat, pro ſecunda, pœna duplicabitur, pro tertia autem centum ducatos ſoluet, & ignominia notatus exilio mulctabitur. Qui verò Plebeius fuerit, nec erit ſoluendo pro prima vice manibus poſt tergum legatis ante fores Eccleſiæ conſtituetur per diem integrum, pro ſecunda fuſtigabitur per Vrbem, pro tertia lingua ei perforabitur, & mittetur ad triremes. Quicunq; Clericus in hoc blaſphemię crimen incurrerit, pro prima vice fructibus vnius anni omnium, & quorumcunq; beneficiorum ſuorum, pro ſecunda beneficijs ipſis priuetur, pro tertia omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur, & in exilium mittatur. Quod ſi Clericus nullum obtinuerit beneficium, pœna pecuniaria vel corporali pro prima vice puniatur, pro ſecunda carceribus mancipetur, pro tertia verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur. Qui reliquos ſanctos blaſphemauerit pro qualitate blaſphemiæ atq; perſonæ arbitrio iudicis puniatur.

Si quis

Si quis crimen neſandum contra naturam, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ, perpetrauerit, Curiæ ſeculari puniendus tradatur: & ſi Clericus fuerit omnibus ordinibus degradatus ſimili pœna ſubijciatur. *Sodomit. pœna.*

Monemus præterea omnes locorũ Ordinarios, & in virtute ſanctę obedientiæ eis præcipimus, vt ſtatuta Concilij Tridentini contra concubinarios tam Clericos, quàm Laicos edita, diſtrictè faciant obſeruari, reddituri Deo, ac nobis, ſi id omiſerint, rationem. *Concubinariorũ pœnę ad quod uide etiam Cõc. Trid. ſeſſ. 24. ca. 8. de refor. & ſeſſ. 25. cap. 14. de refor.*

Et vt præmiſſorum delictorũ Simoniæ blaſphemiæ ac ſtupri nefandi notitia faciliùs habeatur, volumus quòd in ſingulis caſibus non ſolùm per accuſationem, & inquiſitionem, ſed etiam ad ſimplicem, & ſecretam denunciationẽ procedatur per quoſcunq; iudices, aliàs tamen de iure competentes, tam ratione delicti, quàm perſonarum, ita quòd inter eos locus ſit præuentioni.

Monemus prætereà omnes, & ſingulos, vt ſolum Dei timorem præ oculis habentes, & non alia animi praua affectione ducti, culpabiles tantùm deferant innocentes non vexent. Quod ſi aliqui ex calumnia aliquos denunciaſſe comperti fuerint, eos ad pœnam talionis teneri volumus, & mandamus. *Falſorum accuſatorũ pœna.*

Mulctæ autem pecuniariæ applicabuntur pro duabus partibus locis pijs arbitrio noſtro in Vrbe, extra verò ordinariorum, pro tertia accuſatori, qui delinquentes detulerit. *Pœnarum applicatio.*

Mandamus autem Principibus, Comitibus, & Baronibus omnibus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ feudatarijs, ſub pœna priuationis feudorum, quæ ab ipſa Eccleſia Romana obtinent. Reliquos verò Principes Chriſtianos, & Terrarum Dominos hortamur in Domino & in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, vt pro Diuini nominis reuerentia, & honore, præmiſſa omnia in ſuis Dominijs ac terris exactiſſimè ſeruari faciant, vberrimam ab ipſo Deo mercedem tam boni operis recepturi. *Principes & Barones faciãt obſeruari hanc conſtit.*

Non obſtantibus quibuſuis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac exemptionibus, priuilegijs, indultis, facultatibus, & litteris Apoſtolicis quibuſuis capitulis, conuentibus, militibus ordinibus, & perſonis cuiuſcunq; qualitatis, & conditionis exiſtentibus ſub quibuſcunq; tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſq; efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus, & alijs Decretis in genere vel in ſpecie; etiam motu proprio aliàs quomodolibet, conceſſis, approbatis, & innouatis, quibus, illorum tenores præſentibus pro expreſſis ha-

bentes, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunq;.

Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati munitis eadem prorſus fides vbiq; adhibeatur, quæ eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ innouationis, relaxationis, admonitionis, confirmationis, mandati, ſtatuti, Decreti, ordinationis, præcepti, monitionis, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit. Indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctũ Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo, Quingenteſimo ſexageſimo ſexto, Cal. Aprilis Pontificatus noſtri anno primo.

## SOMMARIO DELLA PARTE DELLA *Bolla di Pio Quinto intorno al conuerſare diuotamente in Chieſa.*

PIO Quinto Sommo Pontifice di Santa memoria innouãdo la Cõſtitutione di Gregorio Decimo, e volendo che ſiano eſſeguiti li Decreti del Sacro Concilio Tridẽtino, ordina per vigore della preſente Conſtitutione, che li Fideli Chriſtiani entrino in Chieſa con diuotione; vi ſtiano con ſilentio; attendano alle diuote orationi; con li ginocchia à terra adorino il Santiſsimo Sacramẽto; ceſſino li profani ragionamenti: niuno, mentre ſi dice la Meſſa, ò altri Diuini Officij, & ſi predica la parola di Dio, preſuma paſſeggiare per Chieſa, far romor, ò voltare le ſpalle al Santiſsimo Sacramento,

mento, ò far altra coſa, che ſia ſcandaloſa, e che perturbi li Diuini Officij ſotto pena di ſcudi 25. d'oro, oltra l'altre pene da imporſi all'arbitrio dell'Ordinario, & dell'eſsilio, come in detta Bolla.

Qualunque dirà in Chieſa con Donne qual ſi voglia ſorte di parole inhoneſte, ò ſporche, ò farà atti dishoneſti, incorra nella pena de ſcudi 25. & della carcere.

Quello parimente ch'in Chieſa dirà parole oſcene & inhoneſte, ouer farà ſimili ſegni, con quale ſi voglia altra ſorte di perſone, ò frà di loro haueranno ragionamenti, come di ſopra dishoneſti e ſporchi, incorra nella pena di ſcutti dieci, ouero ſia punito corporalmente.

Incaricando li Capitoli, Sacriſtani, Rettori, & altri Cuſtodi d'eſſe Chieſe, che auiſano, ouero dinonciano li ſudetti delinquenti, ſotto la pena di duoi ſcudi, da pagarſi per ogni volta in caſo di negligenza, come in eſſa ſi contiene.

## *SOMMARIO DELLA DETTA BOLLA di Pio V. contra li poueri, che cercano elemoſina in Chieſa, nel hora delli Diuini Officij.*

NON ſi permetta in modo alcuno, che li Poueri vadino cercando elemoſina per Chieſa,

nel hora della Meſſa, Prediche, & altri Diuini Officij, mà ſe ne ſtiano alle porte delle Chieſe ſotto pena di ſcudi duoi d'oro da pagarſi per ogni volta dalli Capitoli, che in ciò ſarãno negligenti, & per riſpetto delli Curati ſotto pena di meggio ſcudo d'oro.

Commandãdo in virtù di ſanta obedienza alli Religioſi anco Clauſtrali ouer Regolari, che nelle loro Chieſe deputino qualche vno, che nõ laſcia detti poueri mendicare in Chieſa, come di ſopra, & in caſo di negligẽza ſiano grauiſsimamẽte ripreſi dal Ordinario & altro, come in quella ſi contiene.

*SOMMARIO DELLA PARTE DELLA ſudetta Bolla circa l'oſſeruanza delli giorni Feſtiui.*

PERCHE l'oſſeruanza delli giorni feſtiui pertiene maſsimamente al colto Diuino, per eſſere anco eſpreſſamente cõmandata nella Diuina legge; Perciò deſiderando ſua Santità in tutto leuare qualonque ſorte d'abuſi già introdotti, per vigore della preſente Conſtitutione commanda, che tutti i giorni di Domenica, & altri feſtiui inſtituiti in honor di Dio, della Beata Vergine, de Santi Apoſtoli, & anco quelli giorni che ſecondo la conſuetudine de luoghi ſi ſogliono feſtare con ogni riuerenza, e diuotione da tutti i fideli Chri-

ſtiani s'oſſeruino.

Che in cotali giorni ſi frequentino le Chieſe.

S'attendi diuotamente alli Diuini Officij.

Si guardi ogniuno da qual ſi ſia opera illecita, e ſeruile.

Non ſi faccino mercati, ne trafichi profani.

Che qualonque in detti giorni ſarà colto hauer fatta opera ſeruile, oltre la Diuina vendetta, e perdità delli animali, incorrerà anco nelle pene graui da eſſer impoſte ad arbitrio di ſua Santità ò ſuo Vicario in Roma; Nell'altri luoghi ad arbitrio delli Ordinarij, e come in eſſa Conſtitutione.

### *SOMMARIO DELLA PARTE DELLA predetta Bolla contra i Beſtemmiatori.*

PER leuare in tutto il nefario è deteſtabile peccato della beſtemmia, la Santità di Pio Quinto per vigore della predetta Conſtitutione, innouando anco i Decreti di Leone Decimo nell'vltimo Concilio Lateranenſe, determina, & ordina, che qualonque perſona ſecolare biaſtemmerà eſpreſſamente Dio, è noſtro Signore, Gieſu Chriſto, ouero la Glorioſa Vergine ſua Madre, per la prima volta incorri nella pena di 25. ducati, per la ſeconda de cinquanta, per la terza paghi cento ducati, & ignominioſamente ſia bandito.

Caſo

Caſo che ſia perſona vile, ò plebeo, nè habbia il modo di pagare per la prima volta ſtia auãti le porte della Chieſa con le mani ligate dopò le ſpale per vno giorno intiero; per la ſeconda ſia fruſtato per la Città, per la terza li ſia perforata la lingua, e confinato alla galèra.

Mà chi beſtemmierà gli altri Santi ſecondo la qualità della beſtemmia, e della perſona ſia punito ad arbitrio del Giudice.

## CONSTITVTIO PII V. DE HIS, QVAE *Medici tenentur obſeruare in curatione Infirmorum.*

PIVS Papa V. ad perpetuam rei memoriam. Supra gregem Dominicum noſtræ vigilantiæ diuinitus, creditum vigilis ſpeculatoris, prout nobis deſuper conceditur, exercentes officium, ad ea, per quæ animarum ſaluti, cum diuini nominis gloria conſuli valeat, libenter intendimus, vt Chriſti fideles poſt Baptiſmum in peccata lapſi per Sacramentum Pœnitentiæ Deo reconcilientur. Sanè cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato prouèniat, dicente Domino languido, quem ſanauerat, Vade noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat, ac propterea prouidè fe. re. Innocentius III. prædeceſſor noſter Medicis præceperit, vt cum eos ad ægrotos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneãt, vt animarum Medicos vocent, ne cum eis hoc in extrema ægritudine conſtitutis ſuadetur, in diſperationis articulum incidant. Nos igitur volentes, hoc tam ſalutare præceptum nulla temporis præſcriptione aboleri, ſed ſemper obſeruari, Conſtitutionem præfatam auctoritate Apoſtolica tenore præſentium innouamus, & hac noſtra in perpetuum valitura Conſtitutione ſtatuimus, & decernimus, quòd omnes Medici cum ad infirmos in lecto iacentes vocati fuerint, ipſos ante omnia moneant, vt idoneo Confeſſori omnia peccata ſua iuxta ritum S. R. E. confiteantur, neque tertio die vlteriùs eos viſitent, niſi longius tempus infirmo Confeſſor ob aliquã rationabilem cauſam, ſuper quo eius conſcientiam oneramus conceſſe-

ceſſerit, & eis per fidem Confeſſoris in ſcriptis factam conſtiterit, quòd infirmi, vt præmittitur, peccata ſua confeſsi fuerint. Coniunctos verò, ac omnes familiares, & domeſticos infirmi in Domino rogamus, & monemus, vt de infirmitate Parochum certiorem faciant, ac tam Parochus, quàm coniuncti, & familiares præfati infirmum ad Confeſsionem peccatorum ſuadeant, & inducant. Quod ſi qui Medicorum præmiſſa non obſeruauerint, vltra pœnas in dicta Conſtitutione contentas, quas incurrere declaramus, perpetuò ſint infames, & gradu medicinæ, quo inſigniti erant, omninò priuentur, & à Collegio ſeu Vniuerſitate Medicorum eijciantur, ac pœnâ etiam pecuniaria arbitrio Ordinariorum, vbi deliquerint, mulctentur. Et vt hæc omnia inuiolabiliter obſeruentur volumus, & eadem auctoritate præcipimus & mandamus, vt nullus poſthac vbique locorum in Medicina doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas a quouis Collegio, & Vniuerſitate concedatur, niſi omnia in præſenti noſtra conſtitutione contenta medio eorum iuramento coram Notario publico, & Teſtibus obſeruare in eorum manibus, vel Ordinarij curauerint, & de huiuſmodi iuramento in Priuilegio, ſeu licentia medendi ſpecialis mentio fiat. Quòd ſi Collegia, & Vniuerſitates præfatæ non recepto à promouendis iuramento huiuſmodi, eoſdem ad gradum prædictum promouerint, aut eiſdem medendi licentiam præſtiterint, pęnam priuationis facultatis alios vlteriùs doctorandi incurrant, Mandantes in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus, & ſingulis venerabilibus fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quatenus in Ciuitatibus & Diœceſibus proprijs præſentes noſtras literas publicari faciant, ac iuramentum prædictum à Medicis iam promotis, ſeu licentiam medendi habentibus, omnibus iuris remedijs exigant, neque aliquos ad medendum in Ciuitatibus, & Diœceſibus prædictis admittant, niſi eis conſtiterit eoſdem iuramentum huiuſmodi præſtitiſſe, & contumaces, & iurare, ac iuramentum huiuſmodi iam præſtitum exhibere recuſantes, gradu Medicinæ, & omnibus priuilegijs eiſdem Medicis tam coniunctim, quàm diuiſim eis, & eorum cuilibet conceſsis per quoſuis etiam Romanos Pontifices priuent, & ab ingreſſu Eccleſiæ arceant, donec reſipuerint. Non obſtantibus præmiſsis, priuilegijs, indultis, literis Apoſtolicis, quibuſuis perſonis Collegio, & Vniuerſitati ſub quibuſuis verborum formis, & tenoribus conceſsis, quę omnia, quoad effectum validitatis Conſtitutionis noſtrę tãtùm reuocamus, caſſamus, & annullamus,

mus; Et omnes Principes ſeculares, ac alios Dominos, & Magiſtratus temporales rogamus, requirimus, & obſecramus per viſcera miſericordiæ IESV CHRISTI eiſdem in remiſſionem peccatorum nihilominùs iniungentes, quòd in præmiſſis omnibus eiſdẽ Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis aſsiſtant, & ſuum fauorem, & auxilium præſtent, ac contrafacientes pœnis etiã temporalibus afficiant. Volumus autem, quòd præſentes literæ in Cãcellaria, & acie Campi Floræ publicentur, & inter Conſtitutiones extrauagantes perpetuò valituras conſcribantur. Et quia difficile foret præſẽtes ad ſingula quæque loca deferri, volumus, & etiã declaramus, quòd earum tranſumptis etiam impreſſis manu alicuius Notarij ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius Prælati munitis eadem prorſus fides vbicunque adhibeatur, quę præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die 8. Martij, milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, Pontificatus Noſtri Anno primo.

## *SOMMARIO DELLA BOLLA DI PIO Quinto, nella quale ſi contengono le pene, ch'incorrano li Medici, che viſitano gl'infermi il terzo giorno, prima che ſiano confeſſati.*

PIO Quinto di Santa memoria, innouando la ſalutare Conſtitutione d'Innocẽtio Terzo ſantamente ha conſtituito, & ordinato, che quando li Medici ſaranno chiamati à viſitar gl'Infermi, quali ſtanno nel letto, ſubito inanti tutte le coſe gli auiſano, che ſi confeſſano conforme al rito di Santa Chieſa, ne in oltre habbiano in modo alcuno da viſitarli il terzo giorno, ſe non li conſti chiaramente per fede fatta in ſcritto dal Confeſſore, che ſiano confeſſati, ſaluo ſe per giudicio d'eſſo

con-

conſeſſore per qualche giuſta cauſa più longo tẽpo non foſſe conceſſo all'infermo; E caſo che alcuno d'eſsi Medici non oſſerui le predette coſe, oltre le pene contenute in detta Conſtitutione d'Innocentio, ſia anco perpetuamente infame, è priuato del grado Dottorale, & anco del Collegio, poſsi anco eſſer punito in pena pecuniaria ad arbitrio dell'Ordinario,& come in detta Conſtitutione più ampiamente ſi contiene.

## CONSTITVTIONE DI PIO V. SOPRA *la clauſura delle Monache.*

CON queſta conſtitutione,&c. Con auttorità Apoſtolica per tenore delle preſente ordiniamo che tutte le Monache preſenti, & future, di qualunque religione, & ordine, le quali ò già ſono riceuute, ò per l'auuenire ſi riceueranno in qual ſi voglia Monaſtero, o caſa, e tacitamente ouero eſpreſſamente ſiano profeſſe, ancorche foſſero Conuerſe, ò ſi chiamaſſero con qual ſi voglia altro nome, ſe bene per l'inſtitutioni, ò fondatione della Regola loro non foſſero tenute alla Clauſura,& che non ci foſſe memoria che mai foſſe ſtata oſſeruata ne loro Monaſteri, ò caſe, debbano per l'auuenire ſtare ſotto perpetua clauſu-

ra, ne ſuoi Monaſteri, ò caſe, ſecondo la forma della Conſtitutione di Bonifacio Papa VIII. di fel. mem. che così incomincia. *Periculoſo &c.* approuata, & rinouata dal Sacro Concilio di Trento; la quale Noi ancora approuiamo, & rinouiamo in tutto, e per tutto, & commandiamo che ſtrettamente ſia oſſeruata.

Se alcune Monache saranno, le quali ſotto preteſto di conſuetudine immemorabile, ouero inſtitutione, ò fondatione di Regola, facciano in qualunque modo reſiſtenza oſtinatamẽte à queſta clauſura; gli Ordinarij inſieme con ſuoi Superiori le conſtringano come ribelle, & incorrigibili cõ ogni rimedio di ragione, & di fatto, à ſottoporſi alla detta Clauſura, & oſſeruarla perpetuamente.

Le Donne, quelle ancora, che ſi chiamano Tertiarie, ouer di Penitenza, di qualunque ordine ſi ſiano, le quale viuano in Congregatione, eſſendo ancor eſſe profeſſe, in maniera che habbiano fatto voto ſolenne, ſiano eſſe ancora tenute preciſamẽte, come s'è detto alla Clauſura. Se non haueranno fatto voto ſolenne, gli Ordinarij inſieme con ſuoi Superiori le eſſortino, e cercano di perſuaderle, che lo facciano; & fatto voto, & profeſſione, ſi pongano ſotto la medeſima clauſura; e ſe non voleſſero, & poi alcune di loro fuſſero trouate viuere ſcandaloſamente, ſiano punite

con

con gran ſeuerità. Et à queſte tutti, che voleſſero viuere così ſenza far profeſsione, & ſenza clauſura, vietamo, & prohibiamo perpetuamẽte, che per l'inanzi non riceuano alcun'altra nel ſuo ordine, religione, ò Congregatione. Et ſe pure contra queſta prohibitione noſtra ne riceueranno alcuna, le rendiamo al tutto inhabili à cotal vita; & ordiniamo, che qualunque loro profeſsione, & accettatione ſia di niun valore; ſi come per il preſente Decreto le rendiamo, & annulliamo.

Et accioche per il numero eccesſiuo delle Monache l'oſſeruanza della clauſura non ſi guaſti, accõſtandoſi parimente alla diſpoſitione della detta Conſtitutione di Bonifacio, & al Decreto del Cõcilio di Trento, con ſtretta prohibitione commãdiamo alle ſudette Monache, & à loro Superiori, & à gli Ordinarij, che non riceuano ne'loro Monaſteri, ouero patiſcano, che ſi riceuano più Monache di quelle, che ſi poſſono ſoſtentare comodamente delle proprie entrate d'esſi Monaſteri, ouero delle ſolite elemoſine.

Commandiamo perciò in virtù di Santa 'Obedienza à tutti i Veſcoui, &c. che facciano publicar nella Chieſa, è Dioceſi loro le preſenti lettere noſtre, è così ne Monaſteri di Monache à loro ſoggetti, come in quelli, che mediatamente ò immediatamente appartengono alla Chieſa Romana,

con auttorità della Sedia Apoſtolica, inſieme co' Superiori de' Monaſteri procurino che la clauſura nel modo ſudetto ſi oſſerui quanto prima ſi potrà: Caſtigando con cenſura Eccleſiaſtica i contradittori, è rebelli, ancora rimoſſa l'appellatione, e chiamato perciò ſe ſarà biſogno l'aiuto del braccio ſecolare.

Et accioche q̃ſto Decreto così ſalutare più facilmẽte s'oſſerui, ricerchiamo, & preghiamo per le viſcere della miſericordia di Noſtro Signor Gieſù Chriſto, incaricando di ciò in remiſsione de peccati, tutti i Prencipi ſecolari, & Signori, & Magiſtrati temporali, ch'in tutte le ſudette coſe aſsiſtano à detti Veſcoui, &c. & preſtino il ſuo fauore, & aiuto, & puniſcano chi impedirà, ancora con pene temporali.

Non oſtãdo qualunque conſtitutioni, &c. Data in Roma l'anno 1566. à 4. di Giugno.

## CONSTITVTIONE DI PIO V. CHE LE *Monache non eſcano de Monaſterij, & contra quelli, che di ciò daſſero licenza, accompagnaſſero, o receueſſero.*

VOlendo noi prouedere al decoro, & honeſtà di tutte le Monache, &c. vogliamo, ſtatuimo, & ordiniamo, che non ſia lecito à niſſuna Abbadeſſa, Priora, ò altre Monache, ancora Certoſine, Ciſtercienſi

ſtercienſi di S. Benedetto, & mendicanti, & di qual ſi voglia altri ordini, ancora di militie di qualunque ſtato, grado, conditione, dignità, & preminenza ſi ſiano, ancorche d'Illuſtre & Regia Stirpe, d'vſcir per l'auuenire de predetti monaſteri, ancor per occaſione d'infermità, ò di viſitare altri monaſterij, ancora à loro ſoggetti, ouero caſe de Padri, & madri, ò altri Parenti, ne con altro preteſto, ſaluo che per cauſa di grande Incendio ò d'Infirmità di Lepra, ò di Peſte; la qual infirmità però, oltre à gli altri Superiori de gli ordini, à quali ſpettaſſe la cura de Monaſteri, vogliamo ancora che ſia conoſciuta, & eſpreſſamẽte approuata in ſcritto dal Veſcouo, ò altro Ordinario del luogo, poſto che detti Monaſteri foſſero eſenti dalla giuriſdittione de Veſcoui, & Ordinarij, & che ne predetti caſi ancora non ſia loro lecito di ſtare fuori de Monaſteri, ſe non per quel tempo, che ſarà neceſſario.

Quelle che vſciranno in altro modo di quello ch'è detto, ouero ch'in qualunque modo concederà licenza di vſcire, & chi le accompagnerà, & ſimilmente quelle perſone che le riceuerano, laiche, o ſecolari, ouero Eccleſiaſtiche, parenti, ò nò, ſubitamente incorrano nella ſcommunicatione maggiore, latæ ſententiæ, ſenza altra dichiaratione, dalla quale non poſſano eſſere aſſolute, ſe non dal

Pon-

Pontefice Romano, eccetto nel ponto della morte; Et di più priuamo tanto quelle, che ſaranno vſcite, quanto i Superiori loro ſudetti, che ſimili licenze concedano, dalle dignità, officij, & amminiſtrationi, che eſsi, ò eſſe all'hora haueſſero; & quelle, & quelli dichiariamo inhabili a giâ ottenuti; & à gli altri, che per l'auuenire foſſero per ottenere: & ſimilmente annullamo, & rendemo inualide, & di niun valore, & momento le licenze, & facoltà, ouero indulti, & priuilegi di vſcire de Monaſteri, & fuori di quelle ſtare, conceſsi da Noi, ò da altro Pontefice Romano noſtro predeceſſore, & da Nuncij della Sede Apoſtolica, & legati etiam de latere, & dal Penitentiero maggiore, ò da Superiori de ſodetti ordini, ò altre perſone, ſotto qual ſi voglia tenore, & forma, & con qual ſi voglia clauſule &c.

Commandiamo à tutti i venerandi noſtri Fratelli, Patriarchi, Primati, &c. in virtù di Santa obediẽzà, & ſotto proteſtatione del diuino giudicio, & cominatione della maledittione eterna, che ogn'anno per ſe, ò per altri publichino le preſenti lettere nelle Città, & proprie loro Diocesi; & con ogni diligenza inuiolabilmente le oſſeruino, & facciano oſſeruare, & procurino tutto quello che in eſſe ſi contiene, & ancora il predetto Decreto del Concilio, che commincia, *Bonifacij VIII.* ſotto

ſotto le cenſure Eccleſiaſtiche, & altre ſodette pene contenute in eſſo Decreto; conſtringendo ancora con altre pene, & con l'auttorità noſtra tutti i contradittori, ribelli, & inobedienti alle ſodette coſe, poſpoſta ogni appellatione; ancora aggrauando le ſodette pene vna, & più volte, & mettendo l'Eccleſiaſtico interdetto, ſeruati i termini, & proceſſo, come ſi deue; & chiamato ancora a tal effetto, ſe ſarà biſogno, l'aiuto del braccio ſecolare, Non oſtanti &c. Reſtando però nel ſuo vigore l'altre Apoſtoliche Conſtitutioni, & ordinationi fatte ſopra la medeſima clauſura &c. Data in Roma l'anno 1569. il primo di Febraro l'anno qninto del noſtro Pontificato.

## SOMMARIO D'VN CAPO D'VNA *Conſtitutione di Papa Gregorio XIII. fatta l'anno 1572.*

DIchiariamo non eſſer lecito à qual ſi voglia Monache, ancor a Tertiarie, hauere vſcio, per donde dal Monaſtero ſe poſſa entrare nella Chieſa eſteriore di eſſe Monache, nella quale ſogliano venire li ſecolari alle Meſſe, & Offitij diuini; Mà che ad ogni modo ſi chiuda di muro.

Parimente non eſſere lecito alle Monache di vſcire della porta della Clauſura del Monaſtero, ancor che

che per ſerrare alcuna altra porta più in là, per dõ de venghino i Seculari alla Ruota, alle Crati, o Parlatorij, ouero à picchiare ad eſſa porta di clauſura; i quali luoghi eſſendo aperti à Seculari almeno per le dette cauſe, s'hanno da ſtimare fuori di Clauſura, ancora nel tempo che ſono ſerrati.

*CONSTITVTIONE DI PAPA GREGORIO XIII. delle licenze d'entrare ne' Monaſteri, parte riuocate, parte da vſare per neceſſità.*

CON l'auttorità delle preſenti riuochiamo, & annulliamo tutte le licenze, & facoltà d'entrare ne Monaſterij, caſe, & luoghi ſi di Monache, come de Frati, & di qual ſi voglia altro Regolare di qual ſi voglia ordine conceſſe per l'adietro à qual ſi voglia, ancora Conteſſe, Marcheſe, Ducheſſe, & in ſomma alle Donne di qual ſi ſia ſtato, & conditione.

Caſsiamo anco, & annulliamo in virtù delle preſenti le licenze d'entrare ne' predetti Monaſterij di Monache ad ogni ſorte d'huomini, di qualunque ſtato & dignità, quantonque foſſero conceſſe da noſtri predeceſſori, ò da noi, ò da Legati della Santa Sedia Apoſtolica, ò da qual ſi voglia altro, per vrgentiſsime cauſe, ſotto ogni ſorte di preteſto e di tenore, & con qual ſi voglia clauſula &c.

Pro-

Prohibendo à tutti quelli, che ſimili licenze haueranno ottenute, ſotto pena di ſcommunica, nella quale incorrano ipſo facto, & dalla quale non poſſono eſſere aſſoluti da altri (eccetto in articolo di morte,) che dal Pontefice Romano, d'entrare ſotto preteſto di tali licenze nè ſopranominati Monaſterij in modo alcuno.

Commandando anco ſtrettamente alle Abbadeſſe, à gli Abbati, & à gli altri Superiori di Monaſteri, coſi di Donne, come d'Huomini, ſotto la medeſima pena di ſcommunica, & della priuatione di dignità, officij, & beneficij, & inhabilità ad ottenere mai più ò queſti, ò altri, che ſotto preteſto di dette licenze non facciano, ne cõſentano entrare alcuno nelli ſopraſcritti luoghi: ſotto le medeſime pene, nelle quali s'incorra ipſo facto, vietamo ad ogni ſorte di perſone Eccleſiaſtiche, Secolari, & Regolari, anco Mendicanti di qual ſi voglia ordine, che ſotto preteſto di licenze conceſſe da Veſcoui, ò da altri Superiori, à quali per Decreto del Sacro Concilio Tridentino ſi dà facoltà di potere diſpenſare in caſo di neceſsità intorno all'entrare nè Monaſteri, non entrino però nè detti luoghi di Monache ad arbitrio loro, concedendoſi ſolo per vrgenti neceſsità.

Commandando anco ſotto le medeſime pene alle Monache, che non ardiſcano d'introdure alcu-

no. Non oſtanti le ſodette coſe, ò Conſtitutioni, & ordinationi Apoſtoliche &c. Dat. in Roma l'anno del Signore 1575. à 15. Luglio. L'anno quarto del noſtro Pontificato.

*CONSTITVTIONE DI PAPA GREGORIO XIII. Sopra la facoltà, la quale hanno gli Ordinarij, & altri Superiori, delle Monache di entrare ne' loro Monaſteri in caſo ſolo di Neceſsità.*

PER tenor di queſte con auttorità Apoſtolica dichiariamo, che tutti i Prelati tanto Secolari, quanto Regolari, che in qual ſi voglia modo hanno queſta cura, & gouerno di Monaſteri di Monache, ſi poſſano ſeruir della facoltà, che hanno per proprio officio di entrar in detti Monaſteri, ſolamente nè caſi di Neceſsità, & che entrino accompagnati da poche perſone, & quelle di età matura, & vita religioſa.

Perciò grauemente ammoniamo ciaſcun' Veſcouo, ò altri di maggior dignità, ancorche ſia Cardinale, & in oltre gli Abbati, Preuoſti, Priori, Miniſtri, & ogn'altro Superiore Regolare di qual ſi voglia ordine, che in niun modo ſi ſeruano di queſta facoltà, che hanno, ſe non in caſi di Neceſsità, come già è ſtato detto.

Et sè contrafaranno, con l'iſteſſa Apoſtolica auttorità, ordiniamo, & determiniamo, che quelli, che haue-

hauerãno la dignità Pontificale, per la prima volta, che contrafaranno, ſiano interdetti dall'entrar in Chieſa; per la ſeconda ſiano da ogni officio Pontificale, & dalle coſe diuine ſoſpeſi; & dopò ipſo facto ſenza altra dichiaratione ſiano ſcommunicati.

Mà i Regolari priuati d'ogni officio, & miniſterio, ſimilmente ſottogiacciano alla ſcommunica.

Non oſtanti qual ſi voglia Conſtitutioni, & ordinationi Apoſtoliche generali, & ſpeciali. &c. Dat. in Roma à 23. di Decembre 1581. del noſtro Pontificato l'anno decimo.

*CONSTITVTIONE DI PAPA GREGORIO XIII. che le Abbadeſſe, & altre Superiori de Monaſteri per tutta l'Italia non ſtiano in officio più di tre anni.*

CON queſta noſtra Conſtitutione, la quale in perpetuo vaglia, ſtatuimo, & ordiniamo, che per tutti i tempi à venire, in tutti i Monaſteri di Monache di S. Benedetto, Ciſtercienſi, & d'altro qual ſi voglia Ordine, i quali di preſente ſono gouernati da Abbadeſſe, ò da altre Superiori perpetue per tutta l'Italia, & ſpecialmente ne Regni dell'vna, & dell'altra Sicilia, ſubito che le Abbadeſſe, & altre Superiori hauranno ceduto à ſi fat-

to ſuo gouerno, ancorche preſſo la ſede Apoſtolica, ouero che muoiano; ſi che la loro Abbadia, ò Superiorità ſia vacante, le Abbadeſſe, ò altre Superiori non più perpetue, ne in vita, ma triennali ſolamente ſiano elette dal Conuento di ciaſcun Monaſtero, e ſecondo i Decreti del ſacro Concilio di Trento, & i Regolari inſtituti de ſuoi ordini: le quali paſſato il triennio, & così finiti i ſuoi offici, non ſiano più Superiori, & ſiano priue della ſua auttorità, & per trè anni dal fine dell'amminiſtratione non s'impieghino più in reggere, ò gouernare: è queſti paſſati poſſano però vn'altra volta, e più eſſer elette, ſeruata la detta forma del Cōcilio di Trento: e Noi infin da hora con auttorità Apoſtolica, e di certa ſcientia, & di plenitudine di podeſtà Noſtra, per tenore delle preſenti annulliamo per ſempre, e caſsiamo il nome, & il titolo delle dette Abbadeſſe, e Superiori perpetue; commandando ſtrettamente a tutti i Conuenti de detti Monaſteri, Superiori, & altre perſone, che non ardiſcano di eleggere alcuna Abbadeſſa, ò altra Superiora perpetua, ouero in vita, ma triennale ſolamente.

E ſe alcuno con qual ſi voglia auttorità tenterà di fare altrimente, dichiariamo, che ſi fatta elettione, & tutto, quāto ſarà ſeguito, ſia di niun valore, &c. Non oſtanti Conſtitutioni, & ordinationi Apo-

ſtoliche, ſtatuti, & vſanze de detti Monaſteri, &c. Dat. in Roma il primo di Genaro 1583. l'anno vndecimo del noſtro Pontificato.

# CONSTITVTIO S. D. N. PII PAPAE Quinti. De reſidentia Rectorum Eccleſiarum Parochialium.

*Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

CVPIENTES pro noſtri Paſtoralis officij munere Chriſtifidelium animarum ſaluti, quantum cum Deo poſſumus, ſalubriter cõſulere, & Parochialibus Eccleſijs ab earum parochis, prout tenentur, in diuinis debite, & laudabiliter deſeruiri, inhærendo etiam Decretis ſacri Concilij Tridentini, Motu proprio, & ex mera deliberatione, certaque ſcientia noſtra, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine hac noſtra perpetuo valitura Cõſtitutione, omnes, & ſingulos Rectores Parochialium Eccleſiarum cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & præminentiæ fuerint, in quibuſcunque Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, Dioceſibus, ac alijs Chriſtiani Orbis partibus conſiſtentes, qui Parochialem Eccleſiam, ac Canonicatum, aut dignitatem, etiam poſt Põtificalem maiorem, ſeu principalem in quibuſuis Patriarchalibus, aut Metropolitanis, vel Cathedralibus, ſeu collegiatis Eccleſijs, ſeu aliud quodcumque beneficium Eccleſiaſticum, etiam quarumcunque diſpenſationum à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, ſeu etiam à nobis hactenus quomodolibet impetratarum, ac literarum Apoſtolicarũ deſuper expeditarum titulo, quas omnes hac præſenti Conſtitutione abolemus, & reuocamus, ſeu quocunque alio prætextu obtinent, cum prima, & præcipua debeat eſſe cura animarum, eos ad reſidendum in Eccleſia Parochiali, & ibi in diuinis deſeruiendum, debitoque eorum officio fungendum omnino teneri, & obligatos eſſe, ac ad id per Epiſcopos, & aliorum locorum Ordinarios, etiam tanquã Apoſto-

*Cauſa iſtius conſtitutionis.*

*Rectores parochialium compellantur ad reſidendũ per Ordinarios vt hic.*

Apoſtolicæ ſedis delegatos, ſub ſententijs, & cenſuris Eccleſiaſticis, ac pecuniarijs arbitrio eorum declarandis, ac etiam priuationis dictarum Parochialium, & aliorum quorumcunque beneficiorum pœnis, quacunque appellatione remota, cogi, & compelli poſſe, & debere auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, præcipimus, & ordinamus. Eos tamen ſic reſidentes in Eccleſijs Parochialibus omnes, & ſingulos fructus, redditus, & prouentus, etiam canonicatus ſui, vel dignitatis, ſeu alterius cuiuſcunque beneficij, exceptis dumtaxat quotidianis diſtributionibus, & alijs, quæ ex iuſta cauſa abſentes percipere non ſolent, lucrari volumus. Sicq; per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, interpretari, iudicari, & diffiniri debere. Necnon irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari, decernimus, & declaramus. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis diſpenſationibus, & exemptionibus, literiſque Apoſtolicis deſuper confectis, necnon Apoſtolicis, in Prouincialibuſque, & ſynodalibus Concilijs editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, & etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apoſtolicis quibuſuis perſonis in genere, vel in ſpecie, & aliàs quomodolibet conceſſis, & approbatis, in poſterumque concedendis, & approbandis, quibus omnibus, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, eorum tenores, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ad effectum præſentium ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, quod harum literarum tranſumptis etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides, tam in iudicio, quàm extra adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ abolitionis, reuocationis, ſtatuti, præcepti, ordinationis, decreti, declarationis,

*Decretum irritans.*

*Decretum irritans.*

*Clauſula derog.*

tionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octauo, Idibus Iulij, Pontificatus noſtri anno tertio.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

## CONSTITVTIO S. D. N, D. PII PAPAE V.
*De Impedientibus, & offendentibus ſtatum, res, & perſonas officij Inquiſitionis Hæreticæ prauitatis.*

*Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, &c*

SI de protegendis cæteris omnibus Eccleſiæ miniſtris, quos in fidem, & clientelam noſtram à Domino recepimus, cura nobis quotidiana inſidet, quantò maiore ſtudio eam nos ſolicitudinem capeſſere neceſſe eſt, vt qui in ſacro Inquiſitionis hæreticæ prauitatis officio verſantur, ſub tutela inuiolatæ auctoritatis huius Sedis periculorum omnium expertes quæq; munera ad exaltationem fidei Catholicæ exequantur? Cum itaq; eius generis impiorum vis quotidie magis inualeſcat, qui omnibus malis artibus prædictum officium ſubuertere, miniſtroſq; functionibus diſturbare moliuntur, eò iam nos detruſit neceſſitas, vt nefariam, & ſceleſtam illorum audaciam acerbiore caſtigationis verbere reprimamus. Hac igitur generali Conſtitutione de fratrum noſtrorum conſilio ſancimus, vt quicunque ſiue priuatus, ſiue cuncta Ciuitas, ſiue Populus, ſiue Dominus, Comes, Marchio, Dux, vel potiore titulo illuſtris, quemuis ex Inquiſitoribus, Aduocatis, Procuratoribus, Notarijs, alijſuè Miniſtris prædicti officij, vel Epiſcoporum id munus in ſua Diœceſi, aut Prouincia obeuntium, ſeu Accuſatorem, Denuntiatorem, aut Teſtem in cauſa fidei quomodocunque productum, vel euocatum occiderit, verberauerit, deiecerit, ſeù perterrefecerit; quiue Eccleſias, ædes, aliaſuè res, ſiuè publicas, ſiue priuatas officij, aut miniſtrorum expugnauerit, inuaſerit, incenderit, expilauerit; aut libros, litteras,

*Cauſæ huius conſtitutionis.*

*Offendentes ſeu impedientes perſonas officij Inquiſitionis Bonaq; diripientes.*

litteras, auctoritates, exemplaria, regeſta, protocolla, exempla, ſcripturas, aliauè inſtrumenta, ſiue publica, ſiue priuata vbicunq; poſita combuſſerit, diripuerit, ſeu interuerterit, ſeu ex incendio, aut direptione, aut alio quocunq; modo illa exportauerit; ſeu qui in conflagratione, expugnatione, aut direptione etiam inermis, ſiue capiẽdi, ſiue comburendi, ſiue ſupprimendi cauſa fuerit, ſiue res, aut perſonas ſeruari, defendiuè prohibuerit; Quiue carcerem, aut aliam cu-

*Et carceres frangẽtes.*

ſtodiam, ſeù publicam, ſeù priuatam effregerit, vinctum extraxerit, ſeu emiſerit, capiendum prohibuerit, captũue eripuerit, receperit, occuluerit, ſeù facultatem effugiendi dederit, ſeu iuſſerit id fieri; Qui cœtum concurſumve fecerit, ſiuè vt aliquid prædictorum fie-

*Eorumq; cõplices, & fautores.*

ret, homines accommodauerit, ſiue aliàs auxilium, conſilium, aut fauorem publicè, vel occultè in quolibet prædictorum ſcienter pręſtiterit, licèt nemo occiſus, nemo verberatus, nemo extractus, emiſſus, vel ereptus, nihil expugnatum, nihil effractum, ſuccenſum, direptumue, nullum denique damnum re ipſa ſit ſecutum; nihilomi-

*Pœnas hic deſcriptas incurrunt.*

nus is ſit anathemate præſentis Canonis auctoritate ligatus; Idem quoq; læſæ Maieſtatis reus, dominio, dignitate, honore, feudo, ac quocunq; alio beneficio temporali, & perpetuo eo ipſo priuatus ſæcularis Iudicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas ipſas pœnas exigat, quæ damnatis primo capite dictæ legis per Conſtitutiones legitimas irrogantur, bonis, rebuſq; omnibus Fiſci iuribus applicatis, vti etiam eſt de damnatis hæreticis per ſanctiones canonicas conſtitutum; Eius filij paternæ infamiæ ſubiecti, omnis, & cuiuſcunque

*Eorũq; filij pœnis hic exp̃ſsis ſubiecti.*

hæreditatis, ſucceſſionis, donationis, & legati, ſiue propinquorum, ſiue extraneorum omnino ſint expertes; eiſdem prætereà portæ nũquam pateant dignitatum. Nemo autem expurgationem habere, aut cauſam vllam proponere, vel prætendere poſſit, qui tantum nefas in contemptum, & odium huius Officij admiſerit, niſi contrariũ

*Delinquentes præfati, claras tãtummodo probationes in contrariũ adducere poſſunt.*

per claras probationes docuerit ſe feciſſe. Quod porrò de prædictis, eorumq; filijs ſtatuimus, illud idem de omnibus clericis, & presbyteris ſecularibus, & quorumvis ordinum, etiam exemptorum regularibus, & quacunque etiam Epiſcopali, & maiori dignitate præditis, ac etiam priuilegio quomodocunq; ſuffultis decernimus exequendum; ita, vt ipſi beneficijs, & officijs omnibus Eccleſiaſticis præſentium auctoritate priuati, per iudicem Eccleſiaſticum hæreticorum more degradentur, demum poteſtati ſeculari traditi, pœnis prædictis laicorum inſtar ſubijciantur. Pontificum tamen cauſis nobis, & ſucceſſoribus noſtris reſeruatis; vt re quæſita, & nobis renun-

tiata

tiata contra eos ad depoſitionem, & alias pœnas prædictas procedamus, vti criminis atrocitas videbitur poſtulare. Quicunque autem pro talibus veniã petere, aut aliàs intercedere tentauerint, in eaſdẽ illas pœnas, quæ in hæreticorum fautores à ſacris Conſtitutionibus inferuntur, ipſo facto ſe nouerint incidiſſe. Verum ſi quis etiam huiuſmodi criminum conſcius, aut affinis, ſiue religionis ſtudio, ſiue pœnitentia ductus rem adhuc incognitam retexerit, ſupplicio liberetur. Cæterum eam omnium, & quarumcunq; abſolutionum, rationem à prædictis criminibus, nec non habilitationum, & reſtitutionum etiam ad famam, & honores, ita deinceps habendam optamus, vt ſucceſſores noſtri nullas, niſi ſaltem ſemeſtri poſt cuiuſque aſſumptionem ad huius dignitatis faſtigium excurſo, ac præcibus apud ſupremum Officium Inquiſitionis hic inſtitutum, verificatis, concedant. Decernentes omnes, & quaſcunque huiuſmodi abſolutiones, habilitationes, & reſtitutiones, quæ precibus ſic non verificatis de cætero fient, nemini prorſus prodeſſe; ſed nec præſentibus, niſi toto ipſarum tenore ad verbum inſerto, & gratia ex certa Romani Pontificis ſcientia facta, & propria manu ſubſignata, vlla in parte derogari, nec derogatum cenſeri debere, & ſi illis ex quacunque cauſa aliter derogari contigerit, derogationes huiuſmodi nullius prorſus fore roboris, & momenti. Iubemus igitur vniuerſos, & ſingulos Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & cæteros Eccleſiarum Prælatos per vniuerſum orbem conſtitutos, vt per ſe, vel alium, ſeu alias præſentes litteras, aut earum exempla in ſuis quiſque Prouincijs, Ciuitatibus, Diœceſibus, & locis ſolenniter publicare, & quantum in ſe eſt, firmiter obſeruari procurent, contradictores quoſcunque per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas appellatione poſtpoſita compeſcendo; ipſaſq; cenſuras, & pœnas etiã iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſecularis. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, vt præſentium exempla etiam impreſſa edantur, eaq; Notarij publici manu, & cuiuſcunq; Curiæ Eccleſiaſticæ, vel prælati ſigillo obſignata, eandem illam prorſus fidem vbique locorum faciant, quam ipſæ præſentes facerent, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Cæterum omnes Orbis terrarum Principes, quibus gladij ſecularis poteſtas ad malorum vindictam eſt permiſſa, per eam, quã ſe tueri promiſerunt fidem, obteſtamur, ita ſuas quiſq; partes ſiue in præſtando miniſtris prædictis auxilio, ſiue in criminum poſt Ec-

*Intercedentes pro eis hæreſis pœnas incurrunt.*

*Reuelãtes eorum delicta impunitatem conſequuntur.*

*Forma ſeruãda in abſolutionibus.*

*Clauſulæ derogatoriæ.*

cleſiæ ſententiam animaduerſione interponere; vt eorum quóque præſidijs miniſtri ipſi tanti officij munus pro Dei æterni gloria, & religionis incremento feliciter exequantur, ampliſsimum à Domino præmium recepturi; quod fidei prædictæ aſſertoribus in æternæ beatitudinis conſortio præparauit. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ ſanctionis, legationis, ſtatuti, decreti, iuſſionis, obteſtationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, ac Pauli Apoſtolorũ eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ. Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo nono Cal. Aprilis, Pontificatus noſtri anno quarto.

*SOMMARIO DELLA BOLLA DI PIO V. contro quelli ch'impediſcono, & offendono le perſone, & robano, ò abbrucciano le coſe, ò rompano le carceri de' Veſcoui, ò Inquiſitore pertinenti al Santo Officio.*

LA Santità di N. S. ordina, & commanda, che qual ſi voglia perſona di che grado, conditione, ò preminentia ſia ò Principe, Signore, Secolare, Eccleſiaſtico, Città, Republica, Conſeglio, Magiſtrato, Suddito, Titolato, ò ſenza Titolo, ch'in qual ſi voglia modo offenderà, nocerà, ingiuriarà, percnoterà, ferirà, ammazerà, impaurirà qualunque ò Veſcouo, ò Inquiſitore, Auocato, Promotore, Notaro, ò altro Miniſtro del ſudetto officio, ò Accuſatore, Denunciatore, Teſtimonio prodotto ò chiamato per canſa della Santa Fede.

Chi

Chi eſpugnerà, aſſaltarà, abbrugerà le Chieſe, caſe, ò altre coſe publiche, ò priuate del Santo Officio, ò de ſuoi monaſterij.

Chi abbruggierà, ſaccheggiarà, robberà, naſconderà libri, lettere, auttorità, eſemplari, regiſtri, protocolli, copie, ſcritture, ò altri Inſtrumenti publici, ò priuati poſti in qual ſi voglia luoco.

Chi nell'incendio, & ruina aſportarà, naſconderà le ſudette coſe, ouero vieterà, che le dette coſe, & perſone non ſiano ſaluate, & diffeſe.

Chi romperà le carceri, ò cuſtodia publica, ò priuata, farà fuggire prigioni, cauerà fuori, ò prohibirà il prenderli, ò preſi li leuerà dalle mani della giuſtitia, & l'accetterà, naſconderà, diffenderà, ò commandarà, che ſi faccia fare raddunanza di huomini, ò darà aiuto, ò conſeglio, ò publico, ò occulto in qual ſi voglia delle predette coſe ſcientemente, ſe bene non ne ſeguiſſe danno, ò effetto alcuno.

Vuole che tutti queſti tali ſubito incorrino nella ſcōmunica reſeruata à ſua Santità, & in oltre ſiano Rei di leſa Maeſtà, & priuati d'ogni Dominio, Signoria, Feudo, honore, dignità, beneficio temporale, & Eccleſiaſtico, & ſubito ſiano laſciati in potere del giudice, & puniti dalle pene ordinate nel primo capo d'eſſa lege, & tutti i ſuoi beni confiſcati, come i beni de dannati d'hereſia.

E che i figliuoli di queſti tali ſiano ſoggetti all'infamia paterna, priui d'ogni ſorte d'heredità, ſucceſsione, legato, & donatione de parenti, & ſtranieri, & non habbiano mai adito alle dignità.

Le quali pene eſtende alli Chierici, & Preti ſecolari, & regolari, anco eſenti di qual ſi voglia ordine, & dignità maggiore, & vuole che ſiano priuati di beneficij, & officij Eccleſiaſtici, & poi degradati per il Giudice Eccleſiaſtico à guiſa d'Heretici, & datti alla poteſtà ſecolare, per punirli delle douute pene à guiſa de laici.

Dichiarando chi intercederà per li ſudetti incorrerà nelle pene delli fautori de Heretici.

Dalle quali pene non vuole che alcuno poſſa eſſer aſſoluto, habilitato, ne reſtituito alle dignità, gradi, & honori, & fama, ſe non dal Pontefice Romano, come più amplamente appare nella Bolla.

*CONSTITVTIO S. D. N, D. PAPAE PII V. contra non recitantes horas Canonicas.*

*Pius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.*

*Conc. Lateranē. decreuit non recitantes ho*

EX proximo Lateranenſi Concilio pia & ſalubris ſanctio emanauit, vt quicunque habens beneficium Eccleſiaſticū cum cura, & ſine cura, ſi poſt ſex menſes, quàm illud obtinuerit, diuinum officium, legitimo ceſſante impedimento, non dixerit, beneficiorum

ſuorum

ſuorum fructus, pro rata omiſſionis officij, & temporis, ſuos non faciat; ſed eos tamquam iniuſtè perceptos, in fabricas ipſorum beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Veruntamen multorum animi ſuſpenſione tenentur, cuiuſmodi ratæ prædictæ ratio ſit habenda. Nos huic rei euidentiùs, atq; expreſſiùs prouidere volentes, ſtatuimus, vt qui horas omnes Canonicas vno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes benefitij, ſeu beneficiorum ſuorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quo tidie diuiderentur: qui verò matutinum tantùm dimidiam, qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam: Qui harum ſingulas; ſextam partem fructuum eiuſdem diei admittat; tametſi aliquis choro addictus non recitans, omnibus horis Canonicis cum alijs præſens ad ſit fructuſq; & diſtributiones forte aliter aſsignatas, ſola præſentia iuxta ſtatuta, conſuetudinem, fundationem, vel aliàs ſibi lucri feciſſe prætendat. Is etiam præter fructuum & diſtributionum amiſſionem: Item ille qui primis ſex menſibus officium non dixerit, niſi legitimum impedimentum ipſum excuſauerit, graue peccatum intelligat admiſiſſe. Declarantes præſtimonia, præſtimoniales portiones, & qualiacunq; alia benefitia, etiam nullum omnino ſeruitiū habentia, obtinentes, cum prædictis pariter contineri. Ac quicunque pēſionē fructus, aut alias res Eccleſiaſticas, vt Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium paruum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum; & penſionum, fructuum, rerumq; ipſarum amiſsioni obnoxium. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum, ſtatuti, declarationis, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare preſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ. Milleſimo quingenteſimo Septuageſimo primo, Duodecimo kal. Octobris. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

*ras Canonicas amittere fructus benefic. pro rata omiſſionis offi.*

*Hinc Pōt. modò declarat dictam ratam.*

*Clericos autem penſiones habentes, officiū B. M. tantū modo recitare debere decernit.*

*SOMMARIO DELLA BOLLA DI PAPA Gregorio XIII. contro le Beſtemmie de Giudei.*

Volendo la Santità di N.S. Papa GREGORIO XIII. ouuiare alle ſceleratezze, che gli oſtinati Giu-

Giudei,perſeguitando ancora nelle loro Sinagoghe,& in ogn'altro luogo Chriſto Signor Noſtro trionfante in Cielo, come nemiciſsimi de ſuoi mẽbri, ardiſcono commettere contra la Religione Chriſtiana,ha ſtatuito,& dichiarato, che li Veſcoui,& Inquiſitori dell'Heretica prauità poſſano liberamente procedere in tutti le cauſe, & caſi che ſeguono con ogni rigore,e pene ancora di galera, publicatione de beni, & altre più graui,come in eſſa ſi contiene.

Se alcuno Giudeo,ouero Infidele,nelle coſe,che habbiamo communi con eſsi, affirmaſſe, predicaſſe, ouero priuatamente inſegnaſſe,come ſarebbe à dire, non eſſere Iddio Vno,& Eterno,Onnipotente, Creatore di tutti le coſe viſibili,& inuiſibili, & coſe ſimili.

Se inuocarà i Demonij, dimanderà conſeglio, ò piglierà loro riſposte, ò à quelli dirizzerà ſacrificij, ò preci per alcuna diuotione, ò altra cauſa,ouero à quelli alcuna coſa ſacrificarà, ò offerirà profumi d'incenſo,ò d'altra coſa,o pure farà qual ſi voglia altri obſequij d'impietà.

Se con parole, con fatti, con eſſempio, ò in qual ſi voglia altro modo inſegnarà, indurrà, ouero tentarà d'indurre alcun Chriſtiano à commettere tali ſceleratezze.

Se impiamente dirà il Saluatore, & Signor Noſtro

Gieſu

Gieſu Chriſto eſſer ſtato puro huomo, ouero anco peccatore, ò la Madre di Dio non eſſer Vergine,& altre beſtemmie ſimili à queſte, quali ſemplicemente ſogliono dirſi Hereticali, in ignominia, diſpreggio, ouero contaminatione della Fede Chriſtiana.

Se per opera, aiuto, conſiglio, ouero fauore di qual ſi voglia d'eſsi, alcun Chriſtiano deuiarà dalla Fede, & quella dopò hauerla vna volta riceuuta, negarà,ouero paſſarà, ò ritornerà à riti, cerimonie, ſuperſtitioni, ò pure empie ſette de Giudei, ò altri Infedeli, ò caderà in qualche hereſia, ouero che in qual ſi voglia modo darà conſeglio, aiuto, & fauore, che alcuno neghi la fede di Chriſto, ò cada in hereſia.

Se ardirà di ritrare,diuertire, ouero ſconſigliare dalla Fede, ò dalla inſtruttione di eſſa, ò da pigliare il Santo Batteſimo, alcun Cathecumeno, ò qual ſi voglia Giudeo,ò Infedele, che voglia per inſpiratione di Dio venire alla Fede Chriſtiana, dopò che hauerà dichiarato la ſua volontà,ò con cenni, ò con parole, ò con fatti, ò con qual ſi voglia altro modo,ouero d'impedire, che non vengha alla Fede,& non riceua il Santo Batteſimo.

Se alcuno riceuerà ſcientemente in caſa ſua, ouero altroue Apoſtati,ouero Heretici,ò in qual ſi voglia modo à quelli darà coſa da mangiare, ò farà doni

ni, ò preſenti, ò li manderà, ò condurrà da vn luogo à l'altro, ouero li accompagnerà, ò procurerà che ſiano condotti, & accompagnati, ouero sõministrarà ſpeſe, ò li darà guida, ò compagnia, ouero faranno, che non ſi poſsino ritrouare, ò inueſtigare le loro ſceleraggini; & chi anco darà ricapito ſcientemẽte in qual ſi voglia modo à detti Apoſtati, ouero Heretici, ò li occulterà, defenderà, ouero in qual ſi voglia modo gli darà conſeglio, aiuto, & fauore.

Se tenerà, ò diuulgarà libri Heretici, ouero Talmudi, o altri libri Giudaici in qual ſi voglia modo reprobati, ò altrimente prohibiti, ouero in qualunque luogo li porterà, ò à tal coſe porgerà aiuto.

Se beffeggiarà Chriſtiani, & dishonorando, & ſprezzando Chriſto Noſtro Signore, in qual ſi voglia tempo, & maſsime nel giorno del Venerdì Santo porrà in Croce, ouero appenderà Agnello, Pecora, ò altra coſa, ò ſputerà, ouero farà altro contro d'eſſa.

Se ancora tenerà Nutrici ò Balie Chriſtiane contro ſtatuti, & Ordini de Sacri Canoni, & di diuerſi Romani Pontefici, ouero quelle l'iſteſſo giorno ch'haueranno riceuuto il Santiſsimo Sacramento dell'Euchariſtia, sforzarà, che per vno, ò più giorni gettino il loro latte nelle cloache, latrine, ò altri luoghi.

Et

Data in Roma il primo di Giugno 1581.

Et perche ſua Beatitudine ſtrettamente commanda in virtù di Santa Obedienza alli Patriarchi, Arciueſcoui, & Veſcoui, &c. che facciano publicare queſto ſuo Ordine. Però ordiniamo che il preſente ſommario ſia publicato per tutto doue ſono Hebrei nella noſtra Dioceſi. Et in fede, &c. Dal Veſcouato di Piacenza il dì 12. Nouemb. 1599.

*BREVE APOSTOLICVM PAPAE PII V. conceſſum Confraternitatibus Doctrinæ Chriſtianæ in Ciuitate, & Diœceſi Placentina inſtitutis.*

## PIVS PAPA V.

VNIVERSIS & ſingulis vtriuſq; ſexus Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cùm ſicut accepimus, in Ciuitate Placentina Prouinciæ Mediolanenſis vna Chriſtifidelium vtriuſq; ſexus Confraternitas Doctrinæ Chriſtianæ nuncupata rite inſtituta exiſtat, Nos ex Paſtorali Noſtro Officio, & charitate Chriſtifidelium animarum ſaluti conſulere cupientes, & vt Confratres ipſi eo libentiùs opera ſibi incumbentia exerceant, alijq; Chriſtifideles ad ingrediendum ſocietatem huiuſmodi eò magis inuitentur, quò ex hoc dono cœleſtis gratiæ vberiùs conſpexerint ſe refectos; De omnipotentis Dei miſericordiæ, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, Omnibus, & ſingulis vtriuſq; ſexus Chriſtifidelibus confeſſis, & contritis, ac Sanctiſſimam Euchariſtiam ſumentibus, qui dictam Confraternitatem pro tempore ingredientur, & in illa deſcribentur, in die illorum ingreſſus huiuſmodi ſeptem annos, & totidem quadragenas; Ipſis verò vtriuſq; ſexus Confratribus dictæ Confraternitatis præſentibus, & futuris, quando in tertia Dominica cuiuslibet menſis, aut alio die ab eis deputato iuxta eorum conſuetu-

dinem contriti, & confeſſi eandem Sacratiſſimam Euchariſtiam deuotè ſuſceperint, vel ad ſcholas Doctrinæ huiuſmodi illam diſcendi, vel exercendi cauſa conuenerint, aut alia pia opera ad ipſam Cõfraternitatem ſpectantia exercuerint, quoties id fecerint, toties quinquaginta dies de iniunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs miſericorditer in Domino relaxamus. Contrarijs non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die V. Iunij. M. D. LXXI. Pontificatus Noſtri Anno Sexto.

Cæ. Glorierius.

Conſtitutio S. D. N. Papæ Pij V. de Doctrina Chriſtiana, omittitur, cum in Conſtitutione ſeu Bulla Greg. XIII. inferiùs poſita prope de verbo ad verbum ſit relata.

## CONSTITVTIO S. D. N. D. GREG. XIII.

*Ampliatio Indulgentiarum à Pio V. Confraternitatibus Doctrinæ Chriſtianæ conceſſarum.*

*Gregorius XIII. Vniuerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.*

*Pius V. cõceſſit Indulgen. 40. dierum cõfratrib. inſtruenti-bus, vel inſtruẽdis in Doctrina*

ILLIVS qui pro gregis Dominici Saluationem in ara Crucis immolari non abnuit, vices licèt immeriti gerentes in Terris omni ſtudio circa ſalubrem Reip. Chriſtianæ directionem, & augmentum intendimus, & vt ad ea Chriſtifidelium vota faciliùs concurrant, ipſos Chriſtifideles ſpiritualibus muneribus inuitamus. Cum itaque ſicuti nuper accepimus, Dudum fel. record. Pius Papa V. prædeceſſor noſter per ſuas literas omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus tunc expreſſis, qui eſſent deſcripti in Societatibus, ſeu Confraternitatibus, ad pueros, & alios Chriſtifideles in bonis moribus,

dibus,& Doctrina Chriſtiana erudiendos,in quocunque loco deputatis,ſeu deputandis, ac pueros, & Chriſtifideles rudes huiuſmodi in præmiſſis bene inſtruerent,& qui ab eis inſtruerentur,in eiſdem certis diebus, & temporibus tunc expreſſis,quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentijs Apoſtolica auctoritate relaxauerit, prout in dictis literis,quas idem prædeceſſor perpetuò valere decreuit, plenius continetur. Nos tam pium, & nunquã ſatis laudandũ opus amplioribus ẽt gratijs, & ſpiritualibus muneribus proſequi volentes, dictos quadraginta dies, *ad centum dies*, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium extendimus, & ampliamus, ita quòd perſonæ ſupradictæ, præmiſſa adimplendo nõ ſolum dictos quadraginta dies, ſed *centum dies* Indulgentiæ,præfatis rudes,& temporibus,vt præfertur in totum conſequantur,& conſequi poſſint. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem,vt præſentiũ tranſumptis,manu alicuius publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo alicuius in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti munitis, eadem prorſus fides adhibeatur,quę ipſis originalibus literis adhiberetur,ſi forent exhibitæ,vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum ſub Annulo Piſcatoris, die 21. Octobris 1572. Pontificatus noſtri Anno primo.

*Chriſt. vt eius cõſt.*

*Hic vero Pont. ampliat ipſas Indulg. ad centum.*

Cæ. Glorierius.

## *BREVE APOSTOLICVM PAPAE GREG. XIII. Scholis Doctrinæ Chriſtianæ in Ciuit. & Diœceſi Plac. inſtitutis conceſſum.*

AD perpetuam rei memoriam. Cum ſicut nobis expoſuit dilectus filius noſter Paulus de Aretio tituli Sanctæ Potentianæ presbyter Cardinalis Eccleſiæ Placentinæ Præſul,in Ciuitate, & Diœceſi ſuis Placen. nonnullæ Chriſtianæ Doctrinę ſodalitates eius opera inſtitutę ſint,& quotidie inſtituantur,vt Chriſtifideles ſibi ſubiecti ſemper,tùm maximè diebus feſtis in ijs ſtudijs,atque exercitationibus verſentur,quæ ad excitandam pietatem,mores informandos,vitam æternam promerendam pertinent, Nos vt hæ ſodalitates in dies magis adiuuante diuina gratia ad Chriſti Domini gloriam,& animarum ſalutem augeantur, ſpiritualia de Theſauro Eccleſiæ munera libenter erogamus.Itaq; de Omnipotentis Dei miſe-

ricordia ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus, & viris, & fœminis, qui,quæue in eadem Ciuitate, & Diœceſi Placentina alicui Doctrinæ Chriſtianæ ſodalitati, ſeu ſcholæ pro tempore ſe adſcripſerint, vt debitam in ea præſtent operam, verè pœnitentibus, & confeſſis decem annos, & totidem quadragenas; cum vero ijdem in officio ſuo perſeuerantes confeſſi, & contriti Domini corpus ſumpſerint, illis alios decem,& quadragenas totidem: Quoties autem in ſcholis operam nauauerint,vel congregationibus,quę certis diebus pro negotijs ſodalitatis, aut ſcholarum illius, aut orandi cauſa fieri conſueuerunt, præſentes fuerint, centum dies; in congregatione vero generali ſemel in anno pro officialibus ſodalitatis creandis ſeptem annos, & totidem quadragenas de iniunctis pœnitentijs, vel alias quomodolibet debitis miſericorditer in Domino relaxamus. Ac prætereà cum ijdem certo die, quem vnum in anno idem Paulus Cardinalis, eiuſq; in Eccleſia Placentina huiuſmodi pro tempore ſucceſſor præſcripſerit,etiamſi illum diem in alio anno, & ſucceſſiuè ſemel,aut pluries mutauerit,aut variauerit,Sacram Communionem ſumpſerint ipſis plenariam omnium, & ſingulorum peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem, ac plenariam item eiſdem in mortis articulo conſtitutis Sanctiſſimum Ieſu nomen ter inuocantibus,vel Orationem Dominicam, ſalutationemq; angelicam ſemel recitantibus etiam miſericorditer in Domino concedimus,& elargimur his literis, quas ſub quibuſuis ſimilium,vel diſſimilium Indulgentiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, vel derogationibus per Nos, ſeu Sedem Apoſtolicam pro tempore editis & edendis nullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas eſſe,& cenſeri,atq; eiſdem Chriſtifidelibus ſuffragari debere decernimus. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris. Die 22. Martij M, D. L X X V. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Cæ. Glorierius.

## *INDVLGENTIAE PAPAE GREG. XIII. pro Confratribus Societatum Doctrinæ Chriſtianæ.*

*Indulgẽ.cõceſſa Con-* SAnctiſſimus D. N. Gregorius Papa XIII. per literas ſuas ſub dat. Tuſculi Anno Domini, milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo ſexto,

ſexto, 6. kal. Iunij, Anno quinto, Conceſſit omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui in dictam Confraternitatem Doctrinæ Chriſtianæ, ex nunc deinceps intrauerit, in eorum ingreſſu huiuſmodi, quotieſcunque peccata ſua confeſſi fuerint, & ſacram Communionem receperint, decem annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentijs.

*fratrib. tẽpore ingreſſus in ſocietatem. Confeſſioniſque & Cõmunio. exercitij doctrina Chriſt. Et Confratrum.*

Item conceſſit dictis Confratribus vtriuſque ſexus ſi cõfeſſi fuerint, & receperint ſacram Communionem, decem annos, & totidem quadragenas bis in anno.

Item conceſſit dictis Confratribus deſcriptis, & deſcribendis centum annos Indulgentiæ quotieſcunque in huiuſmodi ſancto exercitio ſe occupauerint.

Item dictis Confratribus quotieſcunque ſe in vnum congregauerint, & de rebus ad promotionem & felicẽ ſucceſſum inſtitutionis puerorum in doctrina pertractauerint, centum dies de iniunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs in Domino miſericorditer relaxauit.

Item dictis Confratribus, qui ſingulis annis ſemel iuxta determinationem & prouidam ordinationem ſuorum Superiorum verè pœnitentes, & confeſſi ſacram Communionem receperint, necnon eiſdẽ ſimiliter contritis & pœnitentibus pro tempore decedentibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo plenariam omniũ peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino conceſſit & elargitus eſt. Dictis literis perpetuis futuris temporibus duraturis.

*Et in articulo mortis.*

Cæ. Glorierius.

## BVLLA GREGORII PAPAE XIII. DE *Indulgentijs conceſſis Confraternitati Doctrinæ Chriſtianæ Ciuitatis, & Diœceſis Placen. ac alijs etiam non Confratribus Proceſſioni habendæ (vt in ipſa) interfuturis.*

GREGORIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Vniuerſis Chriſtifidelibus præſentes literas inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam

licam benedictionem. Omnipotentis & æterni Dei, qui ineffabili ſuæ charitatis, & pietatis exuberantia impium humanæ naturæ lapſum, per immaculati Corporis ſui voluntarium in ſalutiferæ Crucis ara ſacrificium expiare dignatus eſt, vices licèt immeriti gerentes in terris Christifidelibus ſingulis præſertim pijs Confraternitatibus adſcriptis non ſolùm ſemel Indulgentias, & peccatorum remiſſiones elargimur, ſed etiam quandoque pro maiori diuini cultus, & eorum deuotionis incremento illis de nouo alias Indulgentias, & peccatorum remiſſiones concedimus, vt ipſi exinde eò magis diuinæ gratiæ reddantur aptiores. Cum itaque ſicut accepimus dilecti filij vtriuſque ſexus Confratres Confraternitatis ſub denominatione Doctrinæ Chriſtianæ dudnm in Ciuitate Placentina, Prouinciæ Bononienſis, ad quam Venerabilis Frater noſter Philippus Epiſcopus Placentinus dictæ Prouincię magnum gerit deuotionis affectum, ad Omnipotentis Dei laudem, totiuſq; cœleſtis aulę gloriam, & honorem Canonicè Inſtitutæ quaque Feria Tertia poſt Dominicam Quinquageſimæ cuiuſq; anni vnam Proceſſioné per dictam Ciuitatem deuotè, ac cum Dei laude, & reliqui populi ædificatione facere conſueuerint. Nos cupientes vt de cætero dicta proceſſio maiori cum Chriſtifidelium concurſu & frequentia fiat & illi interuenientium deuotio eò magis accreſcat, quò ex hoc maiora ſpiritualia dona ſe cognouerint adipiſci, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi omnibus, & ſingulis Confratribus prædictis, ac alijs pro tempore in ipſa Confraternitate deſcriptis verè pœnitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui dicta Feria Tertia cuiuſq; anni prædictæ Proceſſioni deuotè interuenerint, ac pro pace inter Principes Chriſtianos conſeruanda orauerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, concedimus, & elargimur, necnon omnibus, & ſingulis alijs vtriuſq; ſexus Chriſtifidelibus nō Confratribus dictæ Confraternitatis, qui Proceſſionem eandem dicta Feria aſſociauerint, & illi interfuerint centnm dies de iniunctis illis, aut aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs miſericorditer in Dño in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus (& ſi Confratribus, & alijs Chriſtifidelibus prædictis ratione præmiſſorum, vel aliàs aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondū elapſum duratura per Nos conceſſa fuerit) perpetuis futuris temporibus duraturis. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum

Anno

Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo octuageſimoſecundo Non. Martij. Pontificatus Noſtri Anno Vndecimo.

Subſcripta à pluribus, vt in originali, ac plumbata cum cordulis ſericis, crocei, & rubri coloris.

# SOMMARIO DELL'INDVLGENZE, conceſſe da Pio V. e Gregorio XIII.

*A quelli che ſono deſcritti nella Compagnia della Dottrina Chriſtiana, ò ad altri della Città, e Dioceſi di Piacenza.*

*LA Santità di N. S. Papa Pio V. concede, & relaſſa ſett'anni, & altre tante quarantene di penitentie impoſtegli, ò in qual ſi voglia altro modo douute a ciaſcheduna perſona dell'vno, & l'altro ſeſſo, che contrita, confeſſa, è communicata entrarà, e ſi farà ſcriuere nella Compagnia della Dottrina Chriſtiana.*

*Et cinquanta giorni delle ſudette penitentie alli deſcritti nella Compagnia, che contriti, e confeſſi ſi communicheranno nella Terza Dominica di qual ſi voglia meſe, o altro giorno da eßi deputato.*

*E t altri cinquanta giorni di ſimili penitentie à quelli, che Inſegneranno, ò Impareranno la Dottrina Chriſtiana, ò faranno altre opere pie appertinẽti à quella, come nel Breue conceßo da ſua Santità alla Città, è Dioceſi di Piacenza ſotto il dì 5. Giugno 1571.*

*Il Prefato Papa Pio V. nella Conſtitutione è Bolla vniuerſale datta il dì 6. Ottobre 1572. concede è rilaſſa quaranta giorni di penitenze impoſtegli, o in qual ſi voglia altro modo douute à tutti quelli, che veramente pentiti, & confeſſi, ouero con propoſito di confeſſarſi à tempo ſtatuito dalla Santa Madre Chieſa ſi faranno deſcriuere nella Compagnia della Dottrina Chriſtiana.*

*Et ſimilmente quaranta giorni à quelli, che in eſſa deſcritti la Inſegnaranno, ò Impareranno.*

*La quale Indulgenza di quaranta giorni fù ampliata, & augumentata ſin à giorni cento da Papa Gregorio XIII, nella ſua Bolla vniuerſale, ſotto il dì 21. Ottobre 1572.*

*L'isteſſo Gregorio XIII. con Breue particolare alla Città, e Dioceſi di Piacenza, concede dieci anni, & altre tante quarantene di Peniten ze impoſtegli, ò in qual ſi voglia altro modo douute à tutti quelli, che pentiti, e confeſſi entrarano nella ſudetta Compagnia.*

*Et anni X. di ſimili Penitenze alli Confrati della ſudetta Compagnia, per ogni volta, che contriti, & confeſſi ſi communicarano.*

*A chi ſarà preſente alle Congregationi, che ſi faranno per li negotij della Compagnia, ò ſe eſercitaranno nelle ſchole, ouero nell'Orationi, cento giorni d'Indulgenza.*

*A chi ſarà preſente alla Congregatione Generale, che ſi farà per creare gli Officiali, vna volta l'anno concede anni ſette, & altre tante quarantene di penitenze impoſtegli, ò in qual ſi voglia altro modo douute.*

*Chi*

*Chi ſarà nella ſudetta Compagnia guadagnarà Indulgenza, & remiſſione plenaria di tutti i ſuoi peccati communicandoſi nella prima Dominica dell' Aduento, ſin che da Monſignor Reuerendiſs. Veſcouo, ſia mutato in altro giorno.*

*Parimente chi ſarà della ſudetta Compagnia guadagnarà Indulgenza plenaria, ſe nell' articolo della morte inuocherà tre volte il Santiſſimo nome di Gieſù, ò dirà vna volta il Pater noſter, & l' Aue Maria, come di tutto appare nel Breue di Greg. XIII. conceſſo alla Città, & Dioceſe di Piacenza alli 22. di Marzo del 1575.*

Il medeſimo Greg. *XIII. cõcede X. anni, & altre tãte quarantene di penitẽze impoſtegli à tutti quelli, che nell' intrare nella Compagnia ſi confeßaranno, e cõmunicheranno.*

*Et dieci anni, & altre tante quarantene alli deſcritti nella prefata Compagnia, che due volte l' anno ſi confeſſaranno, & comunicheranno.*

*Concede anco cento anni d' Indulgenza à tutti quelli, che ſarãno deſcritti, ò ſi faranno deſcriuere nella prefata Compagnia ogni volta che ſi occuperanno nel Santo eſſercitio della Dottrina Chriſtiana.*

*E cento giorni di penitenze impoſtegli, ò in qual ſi voglia altro modo deuute ogni volta, che gli deſcritti nella Compagnia, ſi vniranno per trattare coſe ſpettanti al progreſſo della Dottrina Chriſtiana.*

*Concede in oltre Indulgenza plenaria, e remiſſione di tutti li ſuoi peccati alli prefati Confrati, ch' vna volta l' anno veramente pentiti, e confeſſi ſi comunicheranno nel giorno*

*che ſarà ordinato, & ſtatuito da Superiori loro.*

*Simile Indulgenza plenaria, & remiſsione di tutti li peccati concede in articolo di morte alli Confrati, contriti, & pentiti, come di tutto appare nella Bolla vniuerſale del prefato Gregorio XIII. Datta il dì 27. Maggio 1576.*

Il medeſimo Papa Greg. *XIII. concede Indulgenza plenaria, & remiſſione di tutti li ſuoi peccati à tutti le deſcritti nella ſodetta Compagnia della Dottrina Chriſtiana, che veramente pentiti, confeſſi, e communicati nella feria terza dopò la Domenica della Quinquageſima di ciaſchaduno anno deuotamente interueneranno alla proceſsione pregando Dio per la conſeruatione della pace frà Prencipi Chriſtiani.*

*Et à tutti gli altri, che non ſaranno della Compagnia, & accompagnaranno detta Proceſſione, concede cento giorni di penitenze impoſtegli, ò in qual ſi voglia altro modo deuute, come più ampiamente appare nel Breue conceſſo alla Compagnia della Dottrina Chriſtiana della Città, & Dioceſi di Piacenza ſotto il dì 7. di Marzo 1582.*

## *BREVE APOSTOL. S. D. N. GREG. XIII.*

*Conceſſum Vniuerſitati, & hominibus Ciuitatis, & Diſtrictus Plac. de rebus Eccleſiæ alienatis, & alienandis vſque ad ſummam 25. ducatorum de Camera cum ſolo conſenſu, auctoritate, & approbatione Epiſcopi Placentini.*

### GREGORIVS PAPA XIII.

AD perpetuam rei memoriam. Cum vniuerſitas, & homines Ciuitatis Placentinæ exponi nobis curauerint à multis annis, & forſan

ſan immemorabili tempore in Ciuitate, Comitatu, & diſtrictu ipſius celebrari ſolitum fuiſſe, ac confectos, & celebratos eſſe diuerſos, & penè innumerabiles contractus ſuper bonis ſtabilibus, ac tã ruſticis, quàm vrbanis prædijs, & domibus ad diuerſas Eccleſias, & forſan Cathedralem, ac Monaſteria, etiam conſiſtorialia, ac pia, & religioſa loca ſpectantibus, & pertinentibus, etiam ſub nominibus alienationum, vel emphiteoſis perpetuæ, ad tempus etiam longiſſimum, aut tertiam, vel plures generationes, nec non liuellos temporales, & perpetuos, etiam cum pacto affrancandi, & cum clauſula cui, vel quibus ius datum, ceſſum, conceſſum, vel relictum fuerit cum varijs, diuerſis dictarum Eccleſiarum Præſulibus, Commendatarijs, Abbatibus, Rectoribus, & poſſeſſoribus, & Eccleſiaſticis perſonis nullo habito, nec adhibito, minuſq; reſeruato, & mentione habita ſedis Apoſtolicæ beneplacito, ac contra formam, tenorẽ, & diſpoſitionem diuerſorum Romanorum Pontificum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionum, ſtatutorum, & ordinationum deſuper editarum, & factarum pœnaſque, & cenſuras in eis contentas incurrendo, & ſe minus tutos reddendo, ita quòd ſecundum intelligentiam illarum partium prætendere poſſet ex vſu, & conſuetudine, etiam immemorabili vires habere, & ſuſtineri poſſe, licèt corruptela, & abuſus cenſeri poſſent, & cum ſicut dicta petitio continebat nimis graue, & oneroſum populo, ac particularibus perſonis, & omnibus, qui ſimilia inſtrumenta celebrauerint, eſſe, vel contractus reſcindere, vel ab ipſis abſtinere, cum Ciuitas ipſa, ipſiuſque comitatus, & diſtrictus ſatis populoſi ſint, & niſi cum huiuſmodi bonis Eccleſiaſticis ſe iuuarent, & ſuper eis operas, & induſtriam ponerent, vel loca deſerere, vel maxima cum penuria ibi viuere, & degere cogerentur, & coacti fuiſſent, oculoſq; habuerunt ad vtilitatem dictarum Eccleſiarum, & beneficiorum, quæ vtilitatem potius quã damnum reportauerint, licèt, ſecundùm formam à dictis prædeceſſoribus noſtris præſcriptam celebrati non fuerint. Quocirca nobis ſupplicari curauerunt, vt tam quoad præterita, quàm quoad futura prouidere de Apoſtolica benignitate dignaremur. Nos qui prædictam Vniuerſitatem, & homines quantum poſſumus à diſpendijs, & oneribus releuare, eorumq; commoditati conſulere cupimus, etiam hortatu Venerabilis Fratris noſtri Alexandri Epiſcopi Oſtiẽ. Cardinalis Farneſij nuncupati Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarij Communitatem, ſeu Vniuerſitatem, & homines tam Ciuitatis, quàm Comitatus Placentinæ prædicti ſpecialibus fauoribus,

& gratijs amplectentes, & proſequi volentes, & eos omnes à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſq; ſentẽtijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine latis, & ſi quibus innodati existant, vel aliàs quomodolibet occaſione prædicta incurſis ab ſoluentes & abſolutos fore cenſentes, omnes, & ſingulos cõtractus, inſtrumenta, locationes, emphiteoſes, liuellarios, ac aliàs quocunq; nomine, ſeu nominibus nuncupatos, & ſub quauis forma factos, & celebratos hucuſque ſuper bonis, & rebus Eccleſiaſticis prædictis, & cum quibuſuis Eccleſiaſticis perſonis quocunque nomine nuncupatis, & dignitate fungentibus, etiam ſine reſeruatione, & beneplacito Sedis Apoſtolicæ, aut illius mentione, ſeu aliàs nulliter, & citra, vel contra, & præter formam à prædeceſſoribus noſtris prædictis, datam, præſcriptam, & ſtatutam, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, quatenus in vtilitatem dictarum Eccleſiarum, beneficiorum, ac piorum, & religioſorum locorum fuerint, & ſint, approbamus, & confirmamus, nec non quod de cætero perpetuis futuris temporibus Communitas, ſeu Vniuerſitas, ac particulares homines omnes, & ſinguli, tam Ciuitatis Placentiæ prædictæ, quàm illius Comitatus, & Diſtrictus ſimiles, & prædictos cõtractus, inſtrumenta, locationes, liuellarios emphiteoſis perpetuæ, vel ad tempus etiam longum, & tertiam generationem, dummodo in vtilitatem Eccleſiarum, Monaſteriorum, beneficiorum, & locorum prædictorum vertantur, & ſummam vigintiquinque Ducatorum auri de Camera annuatim in redditibus non excedant, cum ſolò conſenſu, auctoritate, & approbatione Epiſcopi Placentin. pro tempore exiſtentis, vel illius in ſpiritualibus Vicarij generalis, ac ſine alio conſenſu, approbatione, auctoritate, ac reſeruatione beneplaciti, & confirmationis Sedis Apoſtolicæ ſuper bonis, & rebus Eccleſiaſticis prædictis cum quibuſuis etiam Epiſcopis, Commendatarijs, Abbatibus, Conuentibus, Rectoribus, Collegijs, & Vniuerſitatibus, ac perſonis Eccleſiaſticis cum quibuſuis clauſulis, & decretis, ac pactis, & conuentionibus de affrancando, ac aliàs, vt hactenus ſeruatum fuit, non tamen ſuper domibus prope Eccleſias Parochiales, quas pro Parochialium Rectoribus eſſe volumus, facere, celebrare, contrahere liberè, & licité valeant, concedimus, & indulgemus, dictoſq; contractus, & inſtrumenta valida, & efficacia eſſe, ſuoſq; effectus ſortiri debere, obſeruarique, & adimpleri, debitæq; executioni demandari, contrahentes, & Eccleſias, & pro vt in eis conuentum, & ſtipulatum fuerit, ligare volumus, ſupplentes omnes alios, tam iuris, quàm facti

defe-

defectus, ſi qui interuenerint in eiſdem, ac ſi cum beneplacito & cõfirmatione Sedis Apoſtolicæ, ac forma, & alijs in prædictis Conſtitutionibus prædeceſſorum noſtrorum prædictorum ſeruatis, facti, & celebrati fuiſſent, nihil penitus omiſſo. Non obſtantibus præmiſſis, ac re. mem. Simachi, Pauli II. Leonis X. Clementis VII. Pauli III. Pauli IIII. & Pij V. ac aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus, & ordinationibus, etiam ſuper rebus Eccleſiaſticis, ſeu niſi ſub certo modo, & forma alienandis, & de eis diſponendis, vel malè, aut non ſolenniter, ſeu alijs diſpoſitionibus prædictis non ſeruatis alienatis recuperandis, nec nõ generalibus, prouincialibus, & ſynodalibus Concilijs, & ſpecialibus Conſtitutionibus, quomodolibet etiam conſiſtorialiter editis, approbatis, confirmatis, & innouatis, ac in futurum edendis, confirmandis, approbandis, & innouandis etiam quibuſuis Eccleſijs, Monaſterijs, beneficijs, pijs, & religioſis locis quauis occaſione, vel cauſa, ſeu intuitu, aut cõtemplatione, quorum omnium, & ſingulorum contractuum, inſtrumentorum, locationum, conſtitutionum, ordinationum, nec non litium, ſi quæ ſunt, earumq; merita, ſtatus, nomina, & cognomina iudicum, & colitigantium, & aliorum prædictorum, & hic de neceſſitate exprimendorum tenores, & compendia pro plenè, & ſufficienter expreſſis habentes, ac ſi de verbo ad verbum eorum, & cuiuslibet eorum tenor inſertus fuiſſet, etiamſi in illis caueretur expreſsè, quòd alia forma, ſeu modus pro illorum ſufficienti derogatione ſeruari deberet, & non per clauſulas generales idem importantes, quibus omnibus hac vice ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, Die 12. Martij 1585.

V. Io. Bapt. Canobius.

## *SOMMARIO DELLA CONSTITVTIONE di Papa Siſto V. contrò gl' Aſtrologi, Indouini, Incantatori, & altri ſimili.*

*LA Santità di N. S. Siſto V. per rafrenar la molta proſontione di coloro, che troppo arditamente s' arrogano la cogni-*

*cognitione delle coſe future, & con illeciti modi perſuadono à ſemplici con predirli i ſucceſſi delle coſe, che deuono à loro ſopravenire, ò proſpere, ò contrarie; confermando tutte le ordinationi fatte contro tal vanità dà Sommi Pontefici ſuoi predeceſſori; con la preſente Conſtitutione, ordina, & comanda à tutti li Veſcoui, Prelati, Ordinarij de luochi, & Inquiſitori, che procedino, & facciano diligente Inquiſitione, contro tutti gl'Aſtrologi, Matematici, & altri, che fanno profeſſione d'Aſtrologia giuditiaria (eccettuando quella parte ch'appartiene all'agricoltura, alla nauigatione, & alla medicina.) Contro tutti quelli che fanno giuditij, & natiuità d'huomini, & ſogliono predire alcuna coſa, di ciò, che poſſa auuenire, delle coſe contingenti, caſi fortuiti, & attioni dependenti dalla volontà dell'huomini, benche proteſtaſſero di non dir queſte coſe affermatiuamente.*

*Et di procedere ancora contro tutti coloro, che eſercitano l'arti pernicioſi, & fallaci d'Indouinare, ò l'inſegnano, ò l'imparino, & che eſſercitano queſte diuinationi illeciti, ſortilegij, ſuperſtitioni, venefitij, incanteſmi, & altre ſimili ſceleraggini, & delitti deteſtandi, & à qual ſi voglia modo vi s'intromettono.*

*Vieta anco, & prohibiſce tutti i libri, opere, & trattati della giuditiaria Aſtrologia, Geomantia, Hydromantia, Pyromantia, Onomantia, Chiromantia, Negromantia, Arte magica, & ne quali ſi contengono Sortilegij, Venefitij, Augurij, Auſpitij, Incanteſmi, eſecrabili ſuperſtitioni,*

*tioni, & altre coſe prohibite, & interdette nell'Indice de libri, ò in altro modo.*
*Volendo S. Santità che gli Veſcoui come Ordinarij Inquiſitori, ò il P. Inquiſitore procedino contro tutti quelli, che ſcientemente li legano, & tenghino, & caſtighino debitamente, Non oſtante Conſtitutione, ouero ordinatione alcuna in contrario; come più diffuſamente ſi contiene in eſſa.*
*Data in Roma ſotto il dì 5. Genaro 1585.*

*Regula 9. Indic. libro rũ prohib. iuſſu S. D. N. Papa Clẽ. VIII. recog. & publicat. 1596.*

# SANCTISSIMI D. N. SIXTI Papæ Quinti.

## *Conſtitutio ſuper Contractibus Societatum ad caput ſaluum, vel alia pacta illicita continentibus. Et quomodo iniri in poſterum debeant.*

*Sixtus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.*

DEteſtabilis auaritiæ ingluuies, & inſatiabilis, lucrandi cupiditas malorum omnium radix vſq; adeò excęcat mortalium mentes, vt multi nimis auidè lucro inhiantes in laqueos, & inſidias Diaboli miſerè incidant: irrepit enim verſutè, & callidè antiquus humani generis hoſtis per varios dolos, & fallacias, & incautos homines, quæſtus dulcedine captos, ac delinitos opprimit, atq; eò perducit, vt ſe ipſos in vſurarum voraginem Deo hominibuſq; odioſam, ſacris Canonibus damnatam, & Chriſtianæ Charitati contrariam fœdè immergant, & dum vanas, & terrenas diuitias quærunt, veras, & cœleſtes amittant. Sicuti nuper cum magno dolore audiuimus hoc malum in quaſdam Prouincias peruaſiſſe. Nam multi ſpecioſum, & honeſtum ſocietatis nomen ſuis fœneraticijs contractibus prætexẽdo,

do, hoc quaſi colore, & fuco, mercatoribus, opificibus, negotiatoribus, & alijs perſonis ſuper eorum mercibus, officinis, tabernis, pannarijs, alijſue rebus, ac bonis pecunias ſuas, aut alias res ſocietatis nomine conferunt, vel greges, armenta, aut certa animalia, agricolis, ſeu Terrarum cultoribus, Paſtoribus, alijſq; ruſticis, ſeu quibuſuis perſonis dant in ſocietatem, ſiue ad ſoccidam (vt vocant) ea conditione, vt ſors ipſa ſeu caput, quod vulgò dicitur capitale, tam pecuniarum, quam animalium, & rerum ſaluum ſemper, & integrum, exiſtat pro eo, qui non induſtriam, aut operas, ſed pecunias, animalia, aut res huiuſmodi in ſocietatem confert, vtq; omne periculum, & damnum ab altero ſocio recipiente ſuſtineatur contra æquitatem, & ſocietatis iuſtitiam diuerſimode paciſcuntur: eoſdemque ſocios, cum quibus contrahunt, plerumq; pauperes, & egenos ſuoq; laborē, & induſtria victitantes, ad ſortem, ſeu capitale reſtituendum, quicunq; tandem caſus, & rerum euentus conſequatur, pacto, & obligatione obſtringunt, ſimulq; etiam certam lucri quantitatē, & ſummam veluti tot pro quolibet centenario, in ſingulos annos, aut menſes per alterum ſocium durante ſocietate ſoluendam, præfiniunt, ac præſcribunt, eamque ſummam, & quantitatem non ſubductis rationibus accepti, & expenſi, quod in codices, ſeu tabulas ſocietatis referri ſolet, neq; facto calculo, vel computo pro ipſius lucri, vel damni modo variabilem, ſed laborem, & curam computandi, & calculandi ſe inuicem remittere, & renuntiare aſſerentes, quouis tempore certam conſtituunt. Proindè nos, qui hoc potiſſimum munus, noſtrǫ; Paſtoralis ſolicitudinis, maximè proprium arbitramur, vt gregem Dominicum fidei noſtræ creditum ab omni offenſione, & æternæ vitæ diſcrimine tutum, in viam ſalutis cœleſti gratia adiutrice dirigere nitamur, huiuſmodi morbi contagionem, antequam in communem fidelium perniciem latiùs ſerpat, quantum Deo fauente poſſumus, tollere cupientes, de attributę nobis Apoſtolicæ poteſtatis plenitudinē, hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione Damnamus, & reprobamus oēs, & quoſcūq; cōtractus, conuētiones, & pactiones poſthàc ineundos, ſeu ineundas, per quos, ſeu quas cauebitur perſonis, pecunias, animalia, aut quaſlibet alias res ſocietatis nomine tradentibus, vt etiam ſi fortuito caſu quamlibet iacturam aut amiſſionem ſequi contingat, ſors ipſa, ſeu capitale ſemper ſaluum ſit, & integrum à ſocio recipiente reſtituatur, ſiue vt de certa quantitate, vel ſumma in ſingulos annos, aut menſes durante ſocietate reſpondeatur: Statuimusq; huiuſmodi contractus, conuentio-

tio-

tiones, & pactiones vſurarias, & illicitas poſthac cenſeri debere, atque in poſterum non licere ijs, qui pecunias, vel animalia, vel alias res in ſocietatem tradent, de certo lucro, vt præfertur, percipiendo inter ſe paciſci, & concordare; neque etiam ſiue ad certum, ſiue ad incertum lucrum conuenerint, ſocios, qui ea recipient, ad ſortem ſeu capitale ſaluum, & integrum, vbi illud caſu fortuito perierit, vel amiſſum erit, reddendum quouis pacto aut promiſſione ſibi obligare, ac ne de cætero ſocietates ineantur ſub huiuſmodi pactis, & conditionibus, quæ vſurariam prauitatem ſapiunt, diſtrictè interdicimus, & prohibemus.

Sed potiùs cuncti nouerint ſocietates huiuſmodi, cum in poſterum vnus pecuniam, animalia, aut alias res, & bona, alter verò operam, vel induſtriam confert, purè, ſincerè, & bona fide ſicut decet, iuſtis, & æquis Conditionibus, & pactis ſecundum iuris diſpoſitionem, ac ſine vlla prorſus fraude, palliatione, aut vſuraria prauitatis labe, aut ſuſpicione ineundas, ſeu contrahendas eſſe, ita vt non ad certam ſummam, aut quantitatem ab omni periculo, & damno, vt præfertur, immunem, lucri nomine perſoluendam, neq; ad capitale, ſi caſu fortuito perit, reſtituendum, ſocius accipiens teneatur. Si verò finita ſocietate ipſum capitale extat, ei qui illud in ſocietatem contulerit, reſtituatur, niſi ſocio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter ipſos contrahentes ſuper eo legitimè conuentum ſit. Ac prætereà ijdem contrahentes fructus, expenſas, & damna in commune conferant, & prout æquum, & iuſtum fuerit, ſibi communicent, atque diuidant.

Decernentes, ſi qui contractus, conuentiones, & pactiones in futurum contra noſtram huiuſmodi prohibitionē de facto initi fuerint, nullam ex eis tanquam per hanc eandem Conſtitutionem noſtram dānatis, & reprobatis, etiam ſi iuramento, aut in forma Cameræ Apoſtolicæ, vel aliàs quomodolibet roborati fuerint, obligationem ciuilem, aut naturalem oriri, nullamq; actionem realem, aut perſonalē, nec iudicis officium, neque aliud quodcunq; ius cuiquam competere, neque quoad ſortem, ſeu capitale integrum recuperādum, quod caſu fortuito perierit, aut amiſſum erit, neq; quoad certas ſummas, & quantitates in ſingulos annos, aut menſes lucri ſocialis nomine promiſſas. Si qui verò in poſterum ſub prædictis conditionibus, & pactis contrahere temere præſumpſerint, aut prætextu ſimilium cō tractuum, conuentionum, & pactionum ſocietatis nomine initorū, qui hucuſque durant, ad exactionem dictæ ſortis ſeu capitalis, ſiue

illius pretij, & valoris, poſtquam illud in toto, vel in parte caſu fortuito perierit, aut amiſſum ſit, aut certæ ſummæ, & quantitatis annuæ, aut menſtruæ ſibi promiſſæ in futurum procedere auſi fuerint, eos vniuerſos, & ſingulos in pœnas contra manifeſtos vſurarios, & fœneratores à ſacris Canonibus, & Concilijs generalibus latas & promulgatas eo ipſo incurrere, & contra illos vti manifeſtos vſurarios, & fœneratores via iuris, alijſq; opportunis remedijs procedi poſſe, & debere, ſicq; ab omnibus cenſeri, & ita quoad præmiſſa vniuerſa, & ſingula per quoſcunq; Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S.R.E. Cardinales, (ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretãdi facultate, & auctoritate,) vbiq; iudicari, declarari, & diffiniri debere, necnon irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunq; quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter cõtigerit attentari. Mandamus verò vniuerſis, & ſingulis locorum Ordinarijs per quaſcunq; Prouincias, & Regna Chriſtiani Orbis Conſtitutis, & quibuſuis noſtris, & ſedis Apoſtolicæ, etiam de latere Legatis, & Vicelegatis, cæteriſq; Officialibus, præſertim Prouinciarum, & locorum ſtatus noſtri Eccleſiaſtici, vt in ſuis quiſq; Ciuitatibus, Diœceſibus, Prouincijs, & locis præſentem noſtram Conſtitutionem publicari, & inuiolatè obſeruari curent, & contra perſonas, quæ in futurum præter, & contra prohibitionem hanc noſtram paciſci, aut exigere auſæ fuerint, tanquam publicos vſurarios, & fœneratores per viam accuſationis, vel denuntiationis, aut Inquiſitionis, & ex mero officio prout eis videbitur, procedant, reoſq; culpabiles repertos condignis pœnis, vt ſupra diſpoſitum eſt, afficiant, inuocato etiam ſi opus fuerit auxilio brachij ſecularis. Non obſtantibus quarumcunq; Ciuitatum, Prouinciarum, & locorum iuramento, confirmatione Apoſtolica. vel quauis alia firmitate roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus Priuilegijs quoq; indultis, & litteris Apoſtolicis quarumcunque tenorum exiſtant, ſiue per modum Conſtitutionis, & legis perpetuæ quomodolibet conceſſis etiam ſæpius approbatis, & innouatis, quæ omnia nolumus cuiquam de cætero ſuffragari. Vt autem præſentes litteræ, ad omnium notitiam deducantur, ne ue aliquis earum ignorantiam prætendere valeat, volumus, vt illæ in valuis Baſilicarum, Principis Apoſtolorum de Vrbe, & Sãcti Ioannis Lateranen. & Cancellariæ Apoſtolicæ, atq; in acie Campi Floræ, per aliquem ex noſtris Curſoribus de more publicentur dimiſſis, & affixis earum exemplis in acie, & valuis prædictis earumque

rumque tranſumptis etiam impreſſis, Notarij publici manu ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra illud vbiq; gentium, & locorum habeatur, quæ eiſdem originalibus haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ damnationis, reprobationis, ſtatuti interdicti, prohibitionis, decreti, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attenttare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum. Anno Incarnationis Dominicæ 1586. 12. Kal. Nouembris.

## *SOMMARIO DELLA CONSTITVTIONE di Siſto Quinto intorno alla probibitione delli contratti à capo ſaluo, & altri patti illeciti, & come s'hanno da far per l'auuenire.*

*DEſiderando la Santità di Siſto Quinto di fel. mem. opportunamente prouedere, & inhibire, che gli huomini allettati dalla dolcezza del guadagno non cadano nel peccato dell'Vſura, & che ſotto preteſto di guadagno temporale, non perdino le richezze di vita eterna, per vigore della preſente Conſtitutione, & inhibitione, danna, e probibiſce ogni ſorte di Contratti, di conuentioni, e patti, per liquali gli huomini tal'hora ſotto nome di ſocietà conferiſcano ad altri danari, ò altre coſe, ouero danno in ſocida gregi, armenti, ò altri animali à qual ſi voglia ſorte di perſone con patti, e condittioni veramente ingiuſte, e lontane da ogni ſorte di ragione, come ſarebbe che il Capitale così de danari, come d'animali per qual ſi voglia caſo for*

*tuito, ſia ſempre ſaluo, & intieramente reſtituito al conferente da chiunque gli mette l'induſtria, l'opera, e le fatiche, con patto anco, che colui, che piglia danari, ouero animali, ò altri beni, ſia tenuto pagarli vna certa ſomma ò quantità di guadagno à tanto per cento ogni anno, ò al meſe, durando il contratto di detta ſocietà, ò cõpagnia. Ordinando e dichiarando Sua Santità ſimili contratti, conuentioni, e patti douer eſſere da tutti giudicati feneraticij, illeciti, e dannati.*

*E che per l'auuenire in ſimili ſorte di Contratti dà tutti s'oſſeruino ſolamente Conditioni, e patti giuſti, e conformi alla diſpoſitione de Sacri Canoni ſenza veruna frode, ò ſoſpitione d'Vſura, di modo che il Cõpagno pigliandone danari, ouero animali, non ſia tenuto pagare alcuna certa, ò incerta ſomma di guadagno, libera da qual ſi voglia pericolo, ò danno; ne tampocho reſtituirgli il capitale, in qualonque caſo fortuito ſi perdeſſe, e che finita la ſocietà trà loro, trouandoſi il Capitale ſaluo gli ſia reſtituito, con patto in oltre, ch'eſſi compagni mettano in commune i frutti, le ſpeſe, ò danni, d'eſſere diuiſi trà loro. Sotto pena della nullità d'eſſi Contratti, quando ſiano fatti contro la diſpoſitione della preſente Conſtitutione, & Inhibitione, & altre pene già promulgate contro li manifeſti Vſurari; & come più ampiamente ſi contiene in quella.*

CON-

## CONSTITVTIO SIXTI V.

*Circa confidentias, quam extendit etiam ad Regnum Galliæ cum moderatione nonnullarum pœnarum contentarum in Conſtitutionib. Papæ Pij IIII. & Pij V.*

SIxtus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriã. Paſtoralis Officij ſolicitudo nos admonet, vt quæ ad Dei laudem, animarumq; ſalutem à prædeceſſoribus noſtris prouidè ſtatuta fuiſſe noſcuntur, debitæ executioni demandari curemus, & ſi quando opus ſit illa etiam moderemur, prout perſonarum, & locorum qualitate penſata id in Domino conſpicimus ſalubriter expedire.

*Pius IV. beneficia in cõfidẽtiam recepta à die receptionis vacare decreuit, eorũque diſpoſitionem ſedi Apoſt. reſeruauit vt ſupra in eius Cõſt. 109. In illarũq; cauſis per coniecturas, & præſumptiones à Iudicibus iudicari poſſe decreuit vt ibidem.*

Sanè fel. rec. Pius Papa IIII. prædeceſſor noſter ad tollendam fiduciariæ mancipationis beneficiorum Eccleſiaſticorum corruptelam ſtatuit, & decreuit, vt ipſo iure vacarent Eccleſiæ, Monaſteria, cæteraq; beneficia Eccleſiaſtica, in confidentiam cuiuſuis perſonæ contemplatione, vel intuitu recepta, liberam illorum diſpoſitionem ſibi, & Apoſtolicæ Sedis reſeruando, nec valerent ipſorum collationes, ſeu conceſſiones, nec fructuum, nec penſionum reſeruationes, nec facultates illas transferendi, ſed Eccleſias Monaſteria, & beneficia huiuſmodi ipſo iure vacare, ac prædictæ diſpoſitioni reſeruata eſſe, ſicque per quoſcunque etiam per præſumptiones, & coniecturas legitimas, & aliàs eorum arbitrio procedendo, cum alioquin confidentias, huiuſmodi in lucem erui, & probari non poſſe conſtaret, iudicari, & diffiniri debere, nec non irritum, & inane, quicquid contingeret attentari.

*Pius V. deinde certos caſus confidentiarum, certaſque præſumptiones, & coniecturas deſuper attendendas declarauit, vt hic & in illius Conſt. 87.*

Et deinde recolendæ mem. Pius Papa V. etiam prædeceſſor noſter, ad tam nefarium crimen faciliùs detegendum, & profligandum, ſimiliter ſtatuit, & decreuit; Vt ſi quis quacumq; auctoritate, Eccleſiam, vel Monaſterium, aut aliud beneficium Eccleſiaſticum, qualecunq;, ex reſignatione, vel ceſſione cuiuſcunq; perſonæ ſimpliciter, aut cũ circuitu retroceſſionis cum regreſſu, vel acceſſu etiam, ſola dimittentis intẽtione reciperet, vt illa, vel illud, etiam in euentum regreſſus, vel acceſſus eidem dimittenti, vel alteri poſteà conferretur, aut illius fructus, vel eorum pars alij, vel alijs concederetur, vel pẽſiones ſoluerentur, ex eiſdem hæc confidentia cenſeretur. Itidem ſi Ordinarius, vel alius collator contuliſſet anteà, aut conferret in futu-

rum beneficium Eccleſiaſticum, quouis modo vacans, ea conditione tacita, vel expreſſa, vt poſtea in alterum pro arbitrio collatoris, ſeu alterius cuiuſcumq; cõtra iuris communis ordinationem diſponeret, ſiue, vt de eo prouiſus fructus illius, vel partem ad vtilitatem, vel libitum conferentis, vel cedentis, aut alterius relinqueret & remitteret, ſeu penſionem illi vel illis, quem, vel quos idem collator, aut cedens, vel alius per ſe, vel alium ſcripto, aut verbo iuſſiſſet, aut ſignificaſſet, perſolueret. Et pariter ſi à patrono, etiam laico, vel alteri præſentatori, ſeu electori contigiſſet, aut contingeret id fieri. Ad hæc ſi Clericus Cameræ Apoſtolicæ, aut quiuis alius etiam Cardinalatus dignitate præfulgens, à ſolutione iurium ipſius Cameræ, vel etiam Cancellariæ Apoſtolicæ exemptus poſt reſignationem, vel ceſſionem alicuius extranei de Eccleſia, Monaſterio, vel alio beneficio Eccleſiaſtico in ſe, Apoſtolica, vel alia auctoritate factam, & admiſſam, illam, vel illud etiam cõfectis litteris Apoſtolicis, & poſſeſſione apprehenſa in eundem reſignantem, vel cedentem modico ſpatio interiecto, veluti duorum, aut trium menſium retroceſſiſſet, aut retrocederet in futurum, & ex illa retroceſſione fructus Eccleſiæ, vel monaſterij, aut beneficij, vel eorum pars, ſeu penſio, ſeu quid aliud ſuper illis reſeruatum eſſet, fuiſſetue conceſſum. Poſtremò ſi quis crimine aliquo abſolutus, aut cum quo ſuper irregularitate diſpenſatum eſſet, denuò reciperet, quacumq; auctoritate Eccleſiam, Monaſterium, vel aliud beneficium Eccleſiaſticum, quod ante vel poſt commiſſum delictum, aut contractam irregularitatem dimiſiſſet, in quibuſvis horum caſuũ confidentiæ prauitas eſſet contracta, caſusq; huiuſmodi litteris dicti Pij Papæ IIII. comprahenderentur, ac ſi illis ſpeciatim expreſſi fuiſſent, licèt ipſum confidentiæ crimen alterius tantum partis conſcientia eſſet admiſſum.

Ad probandum verò plenè confidentiarum abuſum, inter alias, & has præſumptiones, & coniecturas idem Pius Papa V. voluit haberi legitimas, videlicet, ſi quis poſt ceſſam ab eo Eccleſiam, vel Monaſteriũ, aut beneficium, & publicatam reſignationem, ſeu ceſſionem, captamq; à ſucceſſore poſſeſſionem, ſeſe in illa, vel illa, ſeu rebus illius per ſe, vel alium, ſeu alios de facto ingeſſerit, aut fructus perceperit, aut quicumq; ſucceſſor illi, vel eius propinquis, ipſos, aut partem aliquam remiſerit, eorundem. Si recipiens beneficium conſtituerit dimittentem, vel eius parentes, aut propinquos procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus beneficij dimiſſi, & illi vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit. Si vel ſo-

la

la procuratoris depoſitione, vel libris rationalibus Menſariorum, ex parte dimittentis, expeditio, quæ perſonam recipientis concernit, proſequuta ſit, ſimulq; expenſæ pro ea neceſſariæ ab illo factæ fuerint. Denique ſi quis pro conceſſione alicui facta, quacumque auctoritate, de beneficio Eccleſiaſtico per ſe, vel alium, ſeu alios interceſſerit, vel aliàs in negocio conceſſionis ſeſe immiſcuerit quoquomodo. Deinde aliquid de fructibus talis beneficij de facto, etiam per manus poſſeſſoris, ac etiam ſimplicis donationis titulo perceperit, ſeu de illo poſtmodum ad voluntatem interceſſoris fuerit diſpoſitum quandocunq;. Teſtes autem de quaq; re ſingulares, ſingulas probare valerent præſumptiones, & coniecturas, pluresq; huiuſmodi præſumptiones, & coniecturæ plenam probationem facerent in prædictis. Cæterum criminoſi, & cæteri omnes, qui ad perhibendum in caſibus Simoniæ teſtimonium recipi poſſunt, ad prædicta omnia admitterentur. Sed ne quiſquam etiam vana fiducia fretus, non intendendi contra ſe iudicij, in crimine perſeueraret, vtq; hoc malum grauioris cenſuræ ſtimulo vſquequaq; prohiberetur, omnes, & ſingulos, qui eouſq; Eccleſias, Monaſteria, beneficia, fructus, penſiones, aliaſue res, intercedente hoc confidentiæ vitio, receperant, aut retinebant, niſi ſtatim ad ſe reuerſi, & reſipiſcentes celeri dimiſſione ſibi proſpicerent, & qui quid tale admitterent in futurum, etiam omnibus, & ſingulis alijs Eccleſijs, Monaſterijs, dignitatibus, adminiſtrationibus Officijs, & beneficijs obtentis, quæ pariter ſub dicta reſeruatione comprehendi voluit, nec non fructibus penſionibus, & alijs rebus Eccleſiaſticis, ac etiam Rom. Curiæ, & alijs Officijs temporalibus Apoſtolica auctoritate priuauit, & ad futura inhabiles decreuit, & in iuris ſubſidium excommunicationis ſententia innodauit, à qua nullus niſi in mortis articulo conſtitutus ab alio, quàm à Rom. Pont. abſolutionis beneficium valeret obtinere, prout in eorundem prædeceſſorum ſuper his confectis litteris, pleniùs continetur.

*Cōtra confidentiæ criminis reos pœna, de quibus etiam in dicta illius Conſt. 87.*

Cum autem ſicut accepimus litteræ prædictæ in Regno Galliæ ob tēporum iniuriam, aliaſq; varias ſubortas difficultates, diuerſaq; impedimenta, adhuc debitæ executioni non fuerint demandatę, ac propterea, tam pernicioſum Confidentiæ vitium, quod celeriter extirpari, & eradicari oportuerat, in dies magis ſerpere, ac propagari no ſcatur, in maximum animarum periculum, ac ſcandalum plurimorum, Nos ad hanc corruptelam è Regno illo, quod non ita dudum omni Chriſtianarum virtutum genere florebat, & adiuuante Domino

*Sanct. Pōt. Sixtus V. præcipit Epiſcopis, & alijs &c. Regni Franciæ, vbi Conſtitutiones Pij IIII. &*

mino etiam in poſterum florebit, tollendam, ac prorſus eliminandã, animarumq; ſaluti in primis conſulere volentes, omnibus, & ſingulis dicti Regni Archiepiſcopis, & Epiſcopis, eorumq; Officialibus, & ad quos de iure, & conſuetudine pertinent, per præſentes mandamus, ac ſub interminatione diuini Iudicij, diſtrictiùs iniungimus, vt in ſuis quiſque Eccleſijs, Ciuitatibus, Diœceſibus, & locis etiam exẽptis ad prædicta ſtudioſè attendant, & in eos quos in Confidentiæ crimine, præſertim verò in aliquo ex caſibus ſuperius expreſſis, etiã per præſumptiones, & coniecturas prædictas deliquiſſe conſtiterit, ſeuerè animaduertant. Qui ſi in præmiſſis exequendis negligentiores fuerint, eorum negligentiam ſuppleri volumus à Capitulis Eccleſiarum Metropolitanarum, & Cathedralium, ac etiam Collegiatarum, vbi de beneficijs ipſarum Collegiatarum Eccleſiarũ agatur, ac etiam ab Abbatibus, ſeu Prioribus, Clauſtralibus, & conuentibus, Monaſteriorum, aliorumq; regularium locorum, vbi de eorundem Monaſteriorum, ſeu locorum Officijs, & beneficijs quæſtio extiterit. Et nihilominus appellationes à ſententijs, quas contra delinquentes huiuſmodi fieri contigerit, ad proximos ſuperiores iuxta Canonicas ſanctiones deuolui; Executionem tamen ſententiarum prædictarum minimè impedire, aut retardare, beneficia verò occaſione Confidentiæ huiuſmodi ad præſens vacantia, & in poſterum vacatura, ab ipſorum beneficiorum Ordinarijs Collatoribus perinde ac ſi diſpoſitioni dictæ Sedis Apoſtolicæ minime reſeruata fuiſſent, liberè conferri, & de illis prouideri poſſe, & debere decernimus; dum tamen talium criminum participes, aut conſentientes non fuerint. Quo caſu, ac etiam vbi ijdem Ordinarij Collatores, per ſex menſes à die detectæ, & comprobatæ, ſeu conuictæ Confidentiæ, beneficia ipſa, vt præfertur, vacantia canonicè conferre, & de illis prouidere neglexerint, beneficiorum eorundem Collatio, & prouiſio ad proximos ſuperiores deuoluatur, quæ verò beneficia de iure patronatûs laicorum fuerint, ad eorundem patronorum præſentationem, dummodo in crimine huiuſmodi non fuerint participes, conferri; De Eccleſijs verò ac Monaſterijs, alijsque beneficijs Eccleſiaſticis ad Chariſſimi in Chriſto filij noſtri Henrici III. Francorum Regis Chriſtianiſſimi nominationem ſpectantibus, nouam ipſius Regis nominationem iuxta Concordata, ſeu indulta à Sede Apoſtolica ei conceſſa, volumus expectari. fructus verò ex Eccleſijs, Monaſterijs, & alijs beneficijs prædictis malè, & indebite perceptos, in vſum, ac reparationem Eccleſiarum, Monaſteriorũ,

*Pij V. prædicta adhuc executa non fuerunt, vt in futurum ad illarum executionẽ omnino procedant.*

*Appellationesq; ab eorum ſententijs ad proximos ſuperiores ſine retardatione executionis deuolui decreuit.*

*Beneficiorũ ob Confidentias vacan. collationem Ordinarijs Collatoribus, vt hic concedit. In hoc iſte Pontifex modificat d. conſt. Pij IIII.*

*Fructus inde male perceptos in vſum, & reparationẽ Eccleſiarum, & beneficiorum, ſuper quibus confidentia committuntur.*

&

& beneficiorum prædictorum, ſuper quibus confidentia huiuſmodi contracta, & commiſſa fuerit, per Archiepiſcopos, Epiſcopos, ſeu Officiales, alioſq; prædictos conuerti, & applicari poſſe volumus, ac decernimus; magnoperè hortantes, & enixè in Domino requirentes eundem Regem Chriſtianiſſimum, vt omne ſtudium, operam, & auctoritatem ad prædicta peragenda, & exequenda præſtare, & impertire velit. Abſolutionem autem à cenſuris, & pœnis, ac irregularitatibus propter crimen confidentiæ huiuſmodi quomodolibet incurſis pro tempore exiſtenti noſtro, & Sedis Apoſtolicæ apud Regem prædictum Nuncio, & quoad Prouincias ſub legatione Auionen. compræhenſas eidem Auionen. legato, cum facultate etiam alios ſubdelegandi, de quorũ pietate, & prudentia magis confidant, per præſentes committimus, & demandamus. Non obſtantibus Pij IIII. & Pij V. prædeceſſorum prædictorum litteris, (quas quoad dictum Regnum in ſuperius expreſſis duximus relaxandas, & moderandas) illis nihilominus, quoad alia Regna, & loca in ſuo robore duraturis, alijſq; Apoſtolicis Conſtitutionibus, priuilegijs quoque & indultis generalibus, vel ſpecialibus quorumcunq; tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, aut in totum nõ inſerta præſentium effectus, & executio impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, eorumq; totis tenoribus habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis, cæteriſq; contrarijs quibuſcunq. Volumus autem, vt præſentium exempla etiam impreſſa edantur, eaq; Notarij publici manu, & cuiuſcunq; Curiæ Eccleſiaſticæ eiuſve Prælati ſigillo obſignata, eandem illam prorſus fidem, in Iudicio & extra, vbique locorum faciant, quam ipſæ præſentes facerent, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum mandati, iniunctionis, decretorum, hortationis, requiſitionis, commiſſionis, demandationis, & voluntatum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotẽtis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Marcum Anno Incarnationis Dominicæ, 1587

*comperiri poſſe declarat. In hoc etiã iſte Pontifex modificat.d. conſt. Pij IIII. Regem Galliæ hortatur, vt prædictorũ executioni operam præſtet. Abſoluendi que à Cenſuris ob confidentias incurſis, Nuncio apud d. Regẽ, & reſpectiue legato Auinion. cõcedit. In hoc etiã iſte Pont. modificat.d. cõſt. Pij IV. & et Pij V. Clauſula derogatoria.*

## *CONSTITVTIO S. D. N. D. SIXTI PAPAE V. Ad Nuncium Apoſtolicum apud Regem Hiſpaniarum; Contra falſa Eunuchorum, & Spadonum Matrimonia.*

## SIXTVS Papa V. Ad perpetuam rei memoriam.

*Contra opin. Medin. in lib. de Cœlibatu & Nauar. in cõſ. 2. & 3. de frigid. & maleficiatis.*

VEnerabilis Frater, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cũ frequẽter in iſtis regionibus Eunuchi quidam, & Spadones, qui vtroque teſte carent, & ideò certum, ac manifeſtum eſt eos verum ſemen emittere non poſſe, quia impura carnis tentigine, atque immundis complexibus cum mulieribus ſe commiſcent, & humorem forſan quendam ſimilem, ſemini, licet ad generationem, & ad matrimonij cauſam minimè aptum effundunt; matrimonia cum mulieribus, præſertim hunc ipſum eorum defectum ſcientibus contrahere præſumant, idq; ſibi licere pertinaciter contendant; & ſuper hoc diuerſæ lites, & controuerſiæ ad tuum, & Eccleſiaſticum forum deducantur, requiſiuit à nobis fraternitas tua, quid de huiuſmodi connubijs ſit ſtatuendum. Nos igitur attendentes, quòd ſecundùm canonicas ſanctiones, & naturæ rationem, qui frigidæ naturæ ſunt, & impotentes, ijdem minimè apti ad contrahenda matrimonia reputantur, quodq; prędicti Eunuchi, aut Spadones, quas tanquàm vxores habere non poſſunt, eaſdem habere vt ſorores nolunt, quia experiẽtia docet, tam ipſos dum ſe potentes ad coeundum iactitant, quàm mulieres, quæ eis nubunt, non vt caſtè viuant, ſed vt carnaliter inuicem coniungantur praua, & libidinoſa intentione, ſub prætextu, & in figura matrimonij turpes huiuſmodi commixtiones affectare, quæ cum peccati, & ſcandali occaſionem prębeant, & in animarum damnationem tendant, ſunt ab Eccleſia Dei prorſus exterminandæ. Et inſuper conſiderantes, quòd ex Spadonum huiuſmodi, & Eunuchorum coniugijs nulla vtilitas prouenit, ſed potiùs tentationum illecebræ, & incentiua libidinis oriuntur, eidem fraternitati tuæ, per præſentes committimus, & mandamus, vt coniugia per dictos, & alios quoſcunque Eunuchos, & Spadones vtroq; teſte carentes cum

qui-

quibuſuis mulieribus defectum prædictum, ſiue ignorantibus, ſiue etiam ſcientibus contrahi prohibeas, eoſque ad matrimonia quomodocunque contrahenda inhabiles auctoritate noſtra declares, & tàm locorum Ordinarijs, ne huiuſmodi coniunctiones de cætero fieri quoquomodo permittant, interdicas, quàm eos etiam, qui ſic de facto Matrimonium contraxerint ſeparari cures, & matrimonia ipſa ſic de facto contracta, nulla, irrita, & inualida eſſe decernas. Eos etiam, qui ſic iam contraxerunt, ſi appareat illos non vt caſte ſimul viuant contraxiſſe, ſed actibus carnalibus, & libidinoſis operam dare, ſimuluè in vno, & eodem lecto cum prædictis mulieribus dormire conuincatur, omnino ſimiliter ſeparari cures. Nos enim ita in præmiſſis, & non aliter per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios quacunque auctoritate, & dignitate fungentes, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate in quacũque cauſa, & inſtantia iudicari, diffiniri debere, & ſi ſecus ſuper his à quoquàm quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel attentari in poſterum contigerit, irritum, & inane decernimus. Non obſtantibus cuiuſuis Ciuitatis, Prouinciæ, aut Regni ſtatutis, legibus municipalibus, aut cõſuetudinibus, quæ abuſus potius, & corruptelæ cenſendæ ſunt, etiamſi ab immemorabili tempore obſeruare dicuntur, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ, apud Sanctum Marcum, ſub annulo Piſcatoris die 27. Iunij 1587.

Tho. Thom. Gualterutius.

## *CONSTITVTIO SIXTI V.*

### *De habitu, & tonſura per Clericos, ſeu milites beneficia, vel etiam Penſiones obtinentes, deferendis.*

CVM Sacroſanctam Dei Eccleſiam, quam Saluator noſter ſuo pretioſiſſimo ſanguine acquiſiuit, ſponſam ſibi elegerit, & nobis licèt indignis cuſtodiendam tradiderit, eidem ſine ruga, ſine macula, atq; in omnibus ſuis membris placentem conſeruare debemus, vt in ea omnia ordinata, ſingula diſtincta, cuncta interiùs exteriuſq; pietatem, & deuotionem redolentia inueniantur, & vt ineffa- *Act. Apoſtol. c. 20.*

bilibus circumamicta varietatibus, ſpecioſa in oculis ſuis appareat, quantũ fauente Deo valemus, idipſum munus exequi decreuimus.

*Pſal. Dauid 44.* Quare animaduertentes, quòd qui in ſortem Domini ad eiuſdem Eccleſiæ decus, & ornamentum ſunt vocati, & ex eo Clerici nomen conſecuti, quiq; cenſu Eccleſiaſtico viuunt, ſingulari aliquo ſigno à *Matt. 22.* reliquo populo diſtingui debent, ne cui eorum iure dici poſſit. *Quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem*; & adhoc ipſum ſollicitudinis noſtræ obtutus dirigentes, nè ſanguis eorum de manu *Geneſ. 42. & Eze. 3.* noſtra requiratur; cùm ingenti cordis noſtri dolore inuenimus complures ſupradicta Domini ſententia iúſtè redarguendos. Nam eorũ pleriq; Clericali honore neglecto, in veſtibus laicalibus incedentes, eo ſe mirifico indignos priuilegio reddiderunt.

Quapropter licèt ſacris Canonibus, Concilijs generalibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus, certus circa eorum, qui Clericali charactere inſignendi ſunt habitum, ętatem, & alias qualitates ſit præſcriptus modus, & contra Clericos in habitu Clericali, & tonſura non incedentes impoſita pœna, nempe vt gratijs, immunitatibus, & alijs priuilegijs Clericalibus minimè gaudeant, tamen cum iniuria temporum, *Matt. 13. in medio.* & forſan dormientibus Paſtoribus, inimicus homo lętifera trãſgreſſionis zizania ſuperſeminauerit, Nos propterea his, & alijs rationabilibus de cauſis adducti, ne quis nimia ſiue Paſtorũ, ſiue temporũ indulgentia, & impunitate, ſeu oſcitantia, cum religionis dedecore, nominis Dei contemptu, & propriæ ſalutis diſpendio de cætero abutatur.

Hac noſtra perpetuo valitura Conſtitutione præcipimus, & mandamus omnibus, & quibuſcunq; Clericis, non ſolum in ſacris, ſed etiã in alijs minoribus ordinibus conſtitutis, & Clericali tantum tonſura inſignitis, & nedum beneficia Eccleſiaſtica qualiacunq; etiã ſimplicia, nunc & pro tempore obtinentibus, & in illis, vel ad ea jus habentibus, verum etiam penſiones ſuper quibuſuis fructibus, redditibus, aut prouentibus quarumuis Patriarchalium, Primatialium, Metropolitanarum, Cathedralium, & aliarum quarumcunq; Eccleſiarum, ſeù Abbatialium, Capitularium, & Conuentualium menſuram, necnon Monaſteriorum, Præpoſiturarum, Præpoſitatuum, *Præfinitio habitus, & tonſurę per clericos, ſeu Mi* Prioratuum, Perſonatuum, Adminiſtrationum, Officiorum, & beneficiorum quorumcunq; Eccleſiaſticorum ſæcularium, & quorumuis ordinum Regulariũ, ſeu illarum diſtributionibus quotidianis, ac iuribus, emolumẽtis, & obuentionibus vniuerſis ſibi reſeruatas aut fructus ipſos prædiaùe aut bona Eccleſiaſtica loco penſionũ

ſibi

ſibi aſſignatos, vel aſſignata, ex quacunq; cõceſſione, ſeu diſpenſatio-
ne Apoſtolica percipientibus, & coniugatis, præſertim ſi ijdem Cle-
rici coniugati iuxta Cõſtitutionem piæ mem. Bonifacij Papæ VIII.
prædeceſſoris noſtri in Concilio Tridentino innouatam, priuilegijs
Clericalibus vti velint, tam in Romana Curia degẽtibus, quam ex-
tra eam vbilibet gentium, & locorum conſtitutis; vt ipſi, & eorum
quilibet, quantumuis exempti exiſtant, & quouis priuilegio vel
immunitate gaudeant, quacunquè dilatione, aut tergiuerſatione
poſt poſita, debeant omnino qui in vrbe præſentes fuerint, intra
15. dies; qui verò citra Montes intra quatuor menſes; qui denique vl-
tra Montes conſtituti ſunt, intra octo menſes à die publicationis præ-
ſentium literarum in Romana Curia faciendæ, tonſuram, & habi-
tum Clericalem, veſtes ſcilicet talares; aut Milites infrà dicendi, qui-
bus penſiones, aut fructus, aliave bona Eccleſiaſtica reſeruata ſunt,
ſuæ Militiæ conuenientem quacunq; remota excuſatione aſſume-
re, & iugiter deferre. In futurum autẽ non niſi actu Clericis in ha-
bitu clericali, & tonſura, & Militibus infra dicendis in Militare in-
cedentibus ſuæ militiæ propria, aut alia quæcumq; Eccleſiaſtica &
ſimplicia beneficia reſpectiuè conferantur, aut commendentur, aut
penſiones, fructusuè, aut bona Eccleſiæ reſeruentur. Alioqui ipſos,
& ipſorũ quẽlibet, qui quoad geſtandũ habitum Clericalẽ, & mili-
tarẽ, ſupra dictũ lapſo hmôi tpe eorũ vnicuiq; vt ſupra dictũ eſt, præ-
fixo noſtro hmôi præcepto, & mãdato, nũc, & in poſterũ perpetuis
futuris tpribus cũ effectu nõ obedierint, præter alias pœnas cõtra
eos inflictas ẽt quibuſcumq; dignitatibus, adminiſtrationibus, offi-
cijs, Canonicatibus, & præbẽdis, ac beneficijs, ẽt ſimplicibus præſti-
monijs per eorum quẽmlibet in titulum, commẽdã, vel alias pro tẽ-
pore obtentis, nec non penſionibus, & fructibus, ac prædijs, boniſq;
Eccleſiaſticis huiuſmodi quocunq; modo eis reſeruatis, vel reſeruã-
dis, omniq; iure ſibi in eis, vel ad ea quomodolibet competenti, ha-
rum ſerie ex certa noſtra ſcientia, deq; Apoſtolicæ poteſtatis pleni-
tudine priuamus, ac ſine vlla alia monitione, citatione, Iudicis de-
creto, aut miniſterio ipſo facto priuatos declaramus, ac tã beneficia
ipſa per priuationem huiuſmodi vacare, & liberè alijs conferri poſ-
ſe, quam etiam penſiones caſſatas, extinctas eſſe, & fore, ac fructuum
aliarum rerum reſeruationes ceſſare, & quemquam vlterius ad illo-
rum ſolutionem minimè teneri; & ob non ſolutionem cenſuras, &
pœnas aliquas incurrere non poſſe, nec debere decernimus ipſaſq;
dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, Officia necnon Canonica-

*Lites beneficia, vel penſiores obtinentes, de cætero deferen.*

*Quod declaratur mox hic infra.*

*Pœnæ impoſitæ contra non deferẽtes habitũ & tõſuram.*

tus,præbendas,& beneficia ſic pro tempore vacantia collationi,pro uiſioni,& diſpoſitioni noſtrę,& Rō.Pont.pro tempore exiſtētis perpetuò reſeruamus.

*Decretum irritans.*

Statuētes ſic in pręmiſſis vniuerſis,& ſingulis,per quoſcūq; iudices,& cōmiſſarios ēt Cauſarū Palatij Apoſtolici Auditores,& S.R.E.Card.ſublata eis,& eorū cuilibet quauis aliter iudicādi,& interpretādi facultate,in quauis cā,& inſtātia iudicari,& diffiniri dére; Decernētes caſsū,irritū, & inane,quicquid ſecus ſuper his à quoquā quauis auctoritate ſciēter,vel ignorāter cōtigerit attentari.

*Declaratio circa eos Milites & alios. Rom. cur. officiales, qui conſtitutiōe iſta ligantur.*

Cæterum Milites quarumuis Militiarum ſub regula aliqua approbata Canonicè inſtitutarum, vel alios Rom. Cur. Officiales qui non vti Clerici,ſed potiùs tanquam Milites iuxta priuilegia, & diſpenſationes Apoſtolicas eis in genere,vel in ſpecie per nos, aut prædeceſſores noſtros nominatim conceſſa,& ſub fel.rec.Pij Papæ V.prædeceſſoris noſtri Conſtitutione,quæ incipit,Sacroſanctum &c.huiuſmodi priuilegiorum forſan reuocatoria minimè comprehenſa beneficia militiæ,quam profeſſi ſunt regularia obtinent,ſeù penſiones ſuper quibuſuis fructibus, redditibus, & prouentibus Eccleſiaſticis etiam prædictarum Eccleſiarum, & beneficiorū ſecularium, aut fructus ipſos ſibi reſeruatos percipiunt,aut obtinebunt, vel percipient in futurum, ſiue Clericali charactere inſigniti ſint, ſiue non ſint,qui veri Clerici ſunt etiam ſi ab initio tempore reſeruationis pēſionum, ſeu fructuum huiuſmodi regularem habitum nondum ſuſceperint,nec milites Officiorum Rom. Cur. aſcripti fuerint, ſed poſt factas eorum cuiq; reſeruationes,ante, vel poſt publicationem præſentis Conſtitutionis Milites effecti extiterint,ſub præcepto, & mandato præfatis de habitu,& tonſura Clericali deferendis, nolumus compræhendi,ſed ijs permittimus,vt Regulari habitu militiæ, quam profeſſi ſunt conuenienti, vel ſi ipſi milites Rom. Cur.Officiales fuerint,qui penſiones,aut fructus, aliaue prædia,aut bona Eccleſiaſtica, ex diſpenſatione, ſeu priuilegio Apoſtolico percipiant habitu militari ſupraſcripto abſq; alicuius cenſuræ,vel pœnæ Eccleſiaſticæ incurſu licitè vti valeant, & nihilominus tam beneficia ſuæ Militiæ Regularia retineant,quam etiam penſiones ſuper Eccleſiarum, & beneficiorum prædictorum etiam ſecularium fructibus, ſeu bona, vel fructus præfatos ſibi pro tempore reſeruatos percipiant.

*Clauſula derogatoria.*

Non obſtantibus Conſtitutionibus,& Ordinationibus Apoſtolicis,nec non conſuetudinibus etiam longiſſimo immemorabili tempore obſeruatis,quæ abuſus,& corruptelæ potius cenſendæ sūt priuilegijs,quoq; indultis, & litteris Apoſtolicis quorumcunq; te-

norum

norum exiſtant, quæ omnia nolumus cuipiam aduerſus præmiſſa in aliquo ſuffragari.

Mandamus verò vniuerſis, & ſingulis Venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & alijs Prælatis, vt locorum ordinarijs, vt in ſuis quiſq; Eccleſijs, Ciuitatibus, & Diœceſibus curent præſentes litteras, earumq; exempla publicari, & inuiolaté obſeruari. Et ne quis præſentium litterarum ignorantia ſe valeat excuſare, iubemus illas ad valuas baſilicarum S. Ioannis Later. & Principis Apoſtolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, & in Cancellaria Apoſtolica affigi, & publicari, earumq; exempla inibi affixa relinqui, & deinde in eadem Cancellaria Apoſtolica in libro Quinterno appellato, inter cæteras Conſtitutiones perpetuas deſcribi, & regiſtrari: decernentes publicationem in Baſilicis præfatis, & in acie Campi Floræ faciendam, poſt lapſum temporis ſuperiùs præfixi vnumquenq; arctare, & afficere, perinde, ac ſi ipſæ præſentes litteræ ſingulis perſonis præfatis perſonaliter intimatæ fuiſſent. Volumus quoq; earumdem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis Notarij publici manu ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica Conſtitutæ obſignatis plenam, & indubitatam fidem in iudicio, & extra adhiberi, quæ ipſis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginā noſtrorum præcepti, mandatorum, priuationis, decretorum, reſeruationis, ſtatuti, voluntatum, permiſſionis, & iuſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incar. Dominicæ 1588. Quinto Idus Ianuarij.

*Publicatio et obſeruatio Conſt. ab omnib. Epiſcopis eſt curāda*

E. Card. Prò Datario.

## *MODERATIO CONSTITVTIONVM SIXTI V. felicis recordationis contra illegitimos regularium; facta à S. D. N. Gregorio Papa XIIII.*

### *Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

CIrcumſpecta Romani Pontificis prouidentia, ea, quæ rationabilibus cauſis, auctoritate Apoſtolica ſancita fuerunt, ipſa rerum

rum experientia ſuadente, ex alijs interdum non minus iuſtis cauſis moderatur, & immutat, prout in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Sanè licèt aliàs felicis recordationis Sixtus Papa Quintus prædeceſſor noſter, nonnulla circa qualitates modum, & formam admittendi Religioſos ad quoſcunq; Ordines ſalubriter ſtatuerit, prout in duabus deſuper, prima videlicet ſub datum ſexto Calendis Decemb. Anno Tertio, & altera ſub datum Duodecimo Calendis Nouembris, Anno Quarto ſui Pontificatus editis Conſtitutionibus latius continetur. Quia tamen vſu comprobatum eſt, multa inuenta fuiſſe impedimenta, propter quæ ea, quæ in præmiſſis ſtatuta fuerunt, executioni mandari minimè potuerunt. Vnde quamplures litteris, & pietate inſignes viri à ſancto propoſito regularem ducendi vitam abducti, ac impediti, atque etiam alij diu cum maxima eorum laude in Religione verſati ab illius dignitatibus, honoribus, prælaturis cum non modico Religionis, & Ordinum huiuſmodi detrimento repulſi, & inhabiles penitus redditi fuerint. Nos igitur ea quæ docuit experientia ſalubriter fuiſſe Conſtituta confirmare: quæ verò moderatione aliqua indigere, moderati volentes, ac dictarum Conſtitutionum, & inde ſequutorum quorumcunque tenores etiam veriores præſentibus, pro expreſſis habentes, Habita cum venerabilibus fratribus noſtris, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ſuper negocijs, & conſultationibus Regularium deputatis matura deliberatione, de eorundem conſilio prædictas Conſtitutiones in ea parte, qua cauetur, ne illegitimi ex certo inibi expreſſo damnato thoro, vel complexu ad quamcumq. Religionem, neq. ad habitum, aut profeſſionem Regulares, ſed tantum ad habitum Conuerſorum, aut famulorum in Monaſterijs, alijſq. locis regularibus ſeruientium admittantur, etſi poſt dictã Conſtitutionẽ profeſſionẽ emitterent, voluit illã nullius eſſe momenti. Et in altera parte in qua illegitimè genitos, etiam ante ipſas Conſtitutiones profeſſos vigore priuilegiorum, aut indultorum Apoſtolicorum cuiuiſordini, Religioni, Monaſterio, aut Cõgregationi, eorumve Superioribus in genere, vel in ſpecie conceſſorum, etiam ipſi per ingreſſum Religionis, vel per eoſdem Superiores legitimatos, ſeu ad gradus, honores, & dignitates habilitatos, ſeu integratos, ab honoribus, gradibus, & dignitatibus quibuſcumq. tam antiquis, quàm alijs priuilegijs, litteris Apoſtolicis, indultis, aut declarationibus, non obſtantibus excludi, ac diſpenſationes quaſcunque, aut legitimationes nõ ſuffragari, neque in futu-

rum cum his niſi à Sede Apoſtolicâ, Priuilegijs, quibuſcunque non obſtantibus diſpenſare poſſe voluit; auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ad terminos iuris reducimus, & moderamur, ac omnes diſpenſationes, & habilitationes vigore priuilegiorum, aut indultorum Apoſtolicorũ cuiuis Ordini Religioni Monaſterio, aut Congregationi, eorumve Superioribus in genere, vel in ſpecie, vt præfertur, conceſſorum, quæ tempore Conſtitutionum huiuſmodi vſu recepta, & non ſub vllis alijs reuocationibus comprehenſa erunt per quoſcunq. eorum Superiores factas, in priſtinum ſtatum, & validitatem, in quibus ante ipſas Conſtitutiones exiſtebant, reſtituimus, & reintegramus. Volentes ijſdem Conſtitutionibus non obſtantibus, eos qui quouis modo illegitimi procreati fuerint ad habitum, & profeſſionem regulares admitti poſſe quemadmodum admitti poterant ſi ſupradictæ Conſtitutiones editæ non fuiſſent. Ita tamen, vt cum de recipiendis quomodocunq; illegitimè natis, ad habitum, & profeſſionem Ordinum quorumcunq; agetur, ij ad quos huiuſmodi receptio ſpectat, præter alia, de quibus ex dictarum Conſtitutionum præcepto circa quoſcunq; etiam legitimos diſquirere debent, diligenter eorum vitam, & mores inquirant, & ita demum recipiant, ſi tamen bonam indolem, & virtutis ſpecimen præſeferant, ac tot eis merita ſuffragentur, vt Natalium ſuppleant defectum, eorumq; receptio Religionis commodo, & vtilitati pro futura videatur. Et ſuper hoc ipſo ij ad quos, vt dictum eſt, pertinet huiuſmodi receptio matura deliberatione habita ita cenſuerint, & iudicauerint, dummodo tamen filius illegitimus in Religione, in qua pater, ſiue ante, ſiue poſt natiuitatem dicti filij profeſſus fuerit, ipſo patre viuente non admittatur, quod expreſsè prohibemus. Volumus quoque ac ſtatuimus licere generali, aut Prouinciali ſingulorum Ordinum, aut Congregationum, aut Hoſpitalium, ad quos dicta diſpenſatio ſpectat iuxta tenorem priuilegiorum, & indultorum Apoſtolicorum eis cõceſſorum, quæ dummodo vſu recepta, nec aliàs ſub vllis reuocationibus comprehenſa ſint, vt præfertur, in hac parte reualidamus cum illegitimis, quos aliàs dictus Generalis, aut Prouincialis cum Generali Prouinciali, ſeu intermedio Capitulo, & non aliàs, ſuffragantibus meritis dignos iudicauerint, ad honores, gradus, & dignitates obtinendas diſpenſare, ac diſpenſationes huiuſmodi pro tempore ita factas, & inde ſequuta quæcunq; vt antea valere, & tenere, perinde ac ſi ſupradictæ Conſtitutiones non emanaſſent. Cæterum cum acceperi-

mus, nonnullarum Religionum, & Ordinum, præſertim Monachalium, Monaſteria ita inſtituta eſſe, vt in eis perpetua quædam filiatio conſtituatur: Ideoq; receptio Nouitiorum in vnoquoque Monaſterio ad ſuperiorem Prælatum, & Capitulum eiuſdem Monaſterij tantùm pertineat, quæ etiam Monaſteria, vt plurimum inter ſe longè diſtant, nec Generalia, Prouincialia, aut intermedia Capitula niſi raro celebrare ſolent. Ideo Statuimus, vt Superiores illorum Monaſteriorum de cõſenſu ſui Capituli præhabita ſimul cum his, de quibus in vnaquaque Religione, aut Monaſterio iuxta eius conſtitutiones recipiendus interrogari ſolet, aliqua informatione ſuper his, quæ in dictis conſtitutionibus continentur, ad receptionem huiuſmodi procedere valeant, dum tamen antequam ad profeſſionem admittatur, plenaria, & eo modo, prout in dictis cõſtitutionibus habetur, inquiſitio fiat, quæ poſtea ab his, a quibus in prædictis Monaſterijs examinari ſolent, diligenter examinetur, & approbetur, & demum omnia in dicto Capitulo coram Superiore referantur. Volentes, quòd Superiores prædicti cum eorum Capitulo, aut vbi conſuetudo non fuerit celebrandi Capitula cum tribus, aut quatuor, ad id in generali Congregatione per vota ſecreta deputatis, ſeruatis eorũ regularibus inſtitutis, ac ſupradictis omnibus eandem in recipiendis Nouitijs habeant auctoritatem, quæ per dictas conſtitutiones Prouincialibus Capitulis eſt attributa. Decernentes ſic, & non aliter per quoſcunq; Iudices & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam eiuſdem Romanæ Curiæ Cardinales, & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate vbique iudicari, & diffiniri debere, irritum quoq; & inane, quicquid ſecus ſuper his a quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſuis alijs conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cęteriſq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati, vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quę eiſdem præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę reductionis, moderationis, reſtitutionis, reintegrationis, prohibitionis, reualidationis, ſtatutorum, voluntatum, & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignatio-

gnationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo nonageſimo, Idus Martij.

L. Dat.

M. Veſtrius Barbianus.

## *CONSTITVTIO S. D. N. D. GREGORII Diuina Prouidentia Papæ XIIII. Super Immunitate Eccleſiarum.*

*Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

CVm aliàs, nonnulli prædeceſſores noſtri; & præſertim fel. rec. Sixtus Papa Quintus, necnon Pius etiam Quintus, Sancto zelo ducti, diuerſas facultates & indulta extrahendi, etiam in caſibus quibuſdam à iure non permiſſis, ex Eccleſijs criminoſos & delinquentes, compluribus ſæcularibus Principibus; eorumque Curijs & Magiſtratibus, ſub varijs modis & formis, cõceſſerint, prout in illis plenius continetur. Experientia poſtmodum docuit, tum ob diuerſitatem, & differentiam huiuſmodi indultorum, tum quia pleriq. eorundem Principum Miniſtri, ex hoc ipſo illa diuerſimode, etiam latius quàm par erat, & ad ſuum libitum interpretandi, occaſionem arripuerunt, illiſq; abuti cœperunt, ſubortam eſſe non mediocrem in aliquibus locis, libertatis & immunitatis Eccleſiaſticæ perturbationem & confuſionem; alibi verò ne ipſos quidem laicos Indultis huiuſmodi vti voluiſſe, aut potuiſſe, quod Populis, inueterata erga Eccleſias reuerentia, deuotis, & aſſuetis, ſcandali potius quàm quietis occaſionem præberent. Illud etiam abſurdum ſæpenumero ſecutũ eſt, vt infimæ interdum conditionis laici, non modo iuris, ſed etiam literarum penitus ignari & imperiti, dum, quaſi poteſtates, aut miniſtri Curiæ ſæcularis in aliquo Caſtro, aut Oppidulo iuriſdictionẽ, exercebant, facultatum, & indultorum huiuſmodi limites longè excesſerint, eaq;, ſuo arbitratu in ſenſus minus rectos, & ab intentione cõcedentis, omnino alienos, detorſerint, & illorum prætextu, quic-

quid ſibi in mentem venit attentare præſumpſerint, in graue iuriſdictionis,& immunitatis Eccleſiaſticæ præiudicium,locorum,& perſonarum diuino cultui dicatarum contemptum,ipſius diuinæ Maieſtatis offenſam,& ſcandalum plurimorum.Quare pro commiſſo nobis a Domino Paſtoralis Officij munere,prædictis abſurdis & ſcandalis obuiare, ac differentias huiuſmodi ad vniformem regulam reducere, omnemq; dubitandi, ac perperam interpretandi occaſioné dilucida declaratione,ſubmouere,abuſus tollere,& ne Eccleſiaſtica iura planè conculcentur, & negligantur,opportune prouidere decreuimus,prout etiam dictus Sixtus Prædeceſſor noſter ijſdem de cauſis motus ſtatuere decreuerat, licet morte præuentus hoc adimplere nequiuerit: ita tamen,vt quando præſens temporum calamitas, & nimia, quæ iam inualuit peruerſorum hominum, malitia id expoſcit,aliquid,etiam ad terrorem delinquentium, & ad coercenda illorum facinora, vltra id, quod priſca illa maiorum noſtrorum diſciplina,& vetus ſacrorum Canonum diſpoſitio præſcripſerat in quibuſdam caſibus, congrua moderatione adhibita,permittamus. Hac itaque noſtra perpetuò valitura conſtitutione,omnia & quæcunque priuilegia, indulta, & gratias tam per prædictum Sixtum, ac Pium Quintum, quam alios quoſcumque noſtros Prædeceſſores, aut noſmetipſos,Sedemque Apoſtolicam eiuſvè Legatos,ſuper abducendis,vel extrahendis ab Eccleſijs,Monaſterijs, Sacellis, domibus regularibus,& ſæcularibus,locisve ſacris,aut Religioſis,aliiſq; in caſibus à iure permiſſis,hominibus certorum tunc expreſſorum, vel non expreſſorum criminum,reis, aut fraudolētis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono pace, & quiete publica,& ex cauſis vrgentiſſimis,ac neceſſarijs,& æquipollentibus caſibus in iure expreſſis,atque ex paritate, identitate,aut maioritate rationis extenſis,perpetuò, vel ad certum nódum elapſum tempus, ſeu ad vitam alicuius Principis,aut beneplacitum,ſeu aliàs quomodolibet conceſſa,etiam iteratis,aut multiplicatis vicibus,approbata, & innouata,ac vſu recepta, literaſq; Apoſtolicas ſub plumbo,aut in forma Breuis,ſeu alias quomodocunque deſuper confectas, quarum tenores hic haberi volumus pro expreſſis, ac ad verbum inſertis,ſublata penitus omni differentia,ita ad vnam tantum formam reducimus,& moderamur,vt laicis,ad Eccleſias,locaque ſacra,& religioſa prædicta,confugientibus,ſi fuerint publici latrones, viarumque graſſatores,qui itinera frequentata,vel publicas ſtratas obſidēt, ac viatores ex inſidijs aggrediuntur, aut depopulatores agrorum,

quive

quive homicidia,& mutilationes membrorum in ipſis Eccleſijs earumve Cemeterijs committere nō verentur,aut qui proditoriè proximum ſuum occiderint,aut Aſſaſſini,vel hæreſis, aut læſæ Maieſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis rei, immunitas Eccleſiaſtica nō ſuffragetur: Sed, vniuerſis & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis,Primatibus,Archiepiſcopis, Epiſcopis,cæteriſque Eccleſiarum,& Monaſteriorum Prælatis,tam ſæcularibus,quàm cuiuſuis ordinis regularibus,diſtrictè præcipiendo mandamus,& præcipimus,vt laicos in caſibus prædictis delinquentes ad eorum Eccleſias,Monaſteria,domos,& alia loca ſupradicta ſacra, ſeu Religioſa reſpectiuè confugientes,& in eis ſe recipientes atque morantes,qui prædicta delicta,eorumve aliquod,iudicio ſuo commiſiſſe videbūtur,quādo a Curia ſæculari fuerint requiſiti,& quilibet eorum fuerit requiſitus,Miniſtris,& Officialibus Curiæ ſecularis abſque Irregularitatis nota,aut alicuius cenſuræ Eccleſiaſticæ in curſu tradi, & conſignari curent,& faciant,& quilibet eorum curet & faciat.Ne autem Curia ſæcularis prædicta Miniſtri facultate illos per ſe,& propria auctoritate extrahendi,& abducendi ſibi olim,vt præfertur,attributa,& per præſentes reuocata abutantur.Volumus,dictaque auctoritate decernimus,& declaramus,vt Curia ſæcularis, eiuſque Iudices,& Officiales,ab Eccleſijs, Monaſterijs, lociſque ſacris prædictis laicum aliquem,vt præfertur,delinquentem in nullo ex caſibus ſupradictis ſine expreſſa licentia Epiſcopi,vel eius Officialis, & cū interuentu perſonæ Eccleſiaſticæ ab eo auctoritatem habentis, ad quos ſolos,& non alios,Epiſcopis inferiores,etiam ſi aliàs ordinarij ſint,aus nullius diœceſis, aut Conſeruatores ab hac ſede ſpecialiter, vel generaliter deputati,prædictam licentiam dandi,facultas pertineat, occurrente autem caſu in loco exempto, & nullius diœceſis, tunc ab Epiſcopum viciniorem deuoluatur hæc cognitio,& non ad alios,capere,extrahere,aut incarcerare non poſſint,niſi eo caſu,quo ipſe Epiſcopus,& dictæ perſonæ Eccleſiaſticæ requiſitæ illos in delictis ſuperiùs expreſſis culpabiles tradere, aut capturæ & carcerationi interuenire,& aſſiſtere recuſauerint, tuncque reuerentiæ Eccleſiæ, & locis ſacris debitæ memores prædictos delinquentes minori,quo id fieri poterit cum ſcandalo,& tumultu, extrahere curēt. Quodque delinquentes laici prædicti, poſtquam, vt præfertur ab Eccleſijs,lociſue ſacris extracti,& capti fuerint,ad carceres Curię Eccleſiaſticæ reponi,& inibi ſub tuto, & firmo carcere, ac opportuna cuſtodia data illis,ſi opus fuerit,per Curiam ſæcularem,detineri debeant

beant,nec inde extrahi,Curiæque ſęculari prædictæ conſignari,nec tradi poſſint,niſi cognito prius per Epiſcopum, ſeu ab eo deputatũ, an ipſi vere crimina ſuperius expreſſa commiſerint,tuncq.demũ de mandato Epiſcopi per Iudicem Eccleſiaſticum Curiæ ſeculari,quacumque appellatione poſtpoſita cõſignentur. De crimine verò Hæreſis, cognitio ad forum Eccleſiaſticum tota pertineat, neque in ea Curia ſecularis ſe quoquomodo intromittat: Sicuti etiam prohibemus,ne contra Eccleſiaſticas perſonas Sæculares, aut cuiuſuis ordinis,vel militię etiam Sãcti Ioannis Hieroſolymitani Regulares quoquomodo etiam vigore prædictorum priuilegiorum indultorum, aut conceſſionum, quæ omnia ad terminos iuris per præſentes reducimus,procedant,aut ſe intromittant,illaſve ab Eccleſijs, Monaſteriis,Domibus,lociſq; ſacris,aut religioſis, etiam in caſibus in hac cõſtitutione expreſſis,extrahere, abducere, capere, carcerare,aut cognoſcere de criminibus ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, aliàs quàm de iure,& per priuilegia eiſdem Ordinibus, aut militijs conceſſa permittitur,quomodolibet præſumant. Quod ſi quis qua cũq. dignitate,& auctoritate præditus, præmiſſorum,aut alio quouis prætextu,quicquam præter, aut contra huius noſtræ conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerit,declaramus eum ipſo facto,Cẽſuras,& Pœnas eaſdem incurrere,quæ,contra libertatis iuris,& immunitatis Eccleſiaſticæ,violatores per ſacros Canones,& Conciliorum generalium, noſtrorumq; prædeceſſorum conſtitutiones ſunt promulgatæ.Sicq; per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores,& S.R.E.Cardinales,ſublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate in qnauis cauſa, & inſtantia, iudicari, & diffiniri debere,necnon irritum decernimus,& inane,ſi ſecus ſuper his, per quoſcumque quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari.Non obſtantibus præmiſſis,tam Sixti,& Pij V. quam aliorum quorumcumque prædeceſſorum noſtrorum litteris Apoſtolicis,priuilegijs,indultis,& facultatibus quibuſuis perſonis etiam Imperiali,Regia,Ducali,aut alia quauis dignitate & auctoritate fulgẽtibus,aut Rebuſpublicis,Dominijs,Regnis,Prouincijs,Ciuitatibus, Terris,& locis,eorumue Curijs, Parlamentis, Senatibus, Conſilijs, Communitatibus,Vniuerſitatibus,Collegijs,aut Pręſidentibus,Proregibus, Gubernatoribus, Locatenentibus, Vicarijs, Poteſtatibus, alijſq; Magiſtratibus,Officialibus,Miniſtris,aut Conſiliarijs,ex prædictis,vel alijs, etiam grauioribus,& vrgentioribus cauſis; tam illorum

rum

rum intuitu,& contemplatione,ſiue ad eorum preces, & inſtantiā, quàm etiam Motuproprio, & ex certa ſcientia deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ac per modum ſtatuti,& legis perpetuæ, etiā in vim contractus,& fratrum noſtrorum conſilio,ſub quibuſcumq; tenoribus,& formis,& cum quibuſuis præſeruatiuis reſtitutiuis,mē tis atteſtatiuis,derogatoriarum,derogatorijs,alijſq; validiſſimis, eſſicaciſſimis,& inſolitis clauſulis,necnon irritantibus,& alijs decretis, etiamſi inibi caueatur expreſsè, quòd illis, niſi ſub certis modis & formis,& niſi de expreſſo eorum conſenſu, ad quorum fauorem cō ceſſæ fuerint, derogari poſſit, & aliter factæ derogationes nullius ſint roboris,vel momenti,& alias quomodolibet conceſſis etiam ſæpius approbatis,& innouatis: Quæ omnia,& ſingula,ac illorum tenores pro expreſsis habentes, quatenus præmiſſis in aliquo aduerſentur,aut plures quàm ſuperius expreſſos caſus contineant,auctoritate & tenore præmiſſis omnino,ac perpetuò tollimus,& abrogamus, ac ad terminos præſentis Conſtitutionis, quoad ſuperius deſcripta dumtaxat,reducimus: Et nolumus cuiquam de cætero ſuffragari,& qualibet alia dictæ ſedis indulgentia generali, vel ſpeciali, per quæ præſentibus non expreſſa, vel ad verbum non inſerta effectus earum quomodolibet valeat impediri. Vt autem præſentes litteræ ad omnium notitiam facilius deducantur,mādamus illas in Valuis Sancti Ioannis Lateranen. & Principis Apoſtolorum Baſilicarū de Vrbe necnon Cancellariæ Apoſtolicæ de more affigi,& publicari,earum etiam exemplis inibi affixis,& dimiſſis,ac poſt publicationem huiuſmodi, volumus & decernimus, vt omnes & ſingulos, quos concernunt,& concernent in futurum,perinde arctent,& afficiant, ac ſi eorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent earundem verò præſentium tranſumptis,etiam impreſſis,Notarij publici manu ſubſcriptis,eandem fidem in iudicio, & extra illud vbique gentium:& locorum haberi volumus, quæ eiſdem originalibus litteris haberetur,ſi eſſent exhibitæ,vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ moderationis, præcepti,mandatorum,decretorum,reductionum,declarationum,prohibitionis,ſublationis,abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire, Si quis autem hoc attentare præſumpſerit,indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri,& Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ in Monte Quirinali, Anno Incar. Dominicæ. 1591.Nono kal. Iunij.

L.Dat.

M.Veſtrius Barbianus.

## SOMMARIO DELLA BOLLA DI Gregorio XIIII. ſopra l'immunità delle Chieſe.

*HAuendo la ſantità di N. S. Papa Gregorio Decimoquarto chiaramente conoſciuto i molti inconuenienti, & grauiſſimi ſcandali, che ogni giorno naſcono dall'vſo de Priuilegi, indulti, e gratie conceſſe coſi da lui, come da Papa Siſto V. & Pio V. di felice memoria, & da altri ſuoi predeceſſori, & anco da Legati della Sede Apoſtolica à diuerſi Principi, Republiche, Magiſtrati, & altri Potentati di eſtraer, ò cauar per forza dalle Chieſe, Monaſteri, caſe de Regolari, & luochi Sacri, ò Religioſi, qual ſi voglia ſorte di delinquenti; Per la preſente Bolla modera tutti li ſopradetti Priuilegi, Indulti, & Gratie, reducendoli à queſta ſola infraſcritta forma.*

*Che l'immunità Eccleſiaſtica non gioui à Laici delinquenti, i quali ſi retireranno nelle Chieſe, ò altri luochi Sacri, ò Religioſi, ſe ſaranno Ladri di ſtrade publiche, & vie frequentate, & qual ſi voglia altra ſorte di publichi ladroni, Sacchegiatori, & guaſtatori delle campagne, ne parimente gioui tale immunità à coloro, che nelle Chieſe, ò lor Cemiterij ammazzano, ò tagliano qualche membro humano, ne à gli Aſſaſſini, ne à coloro che à tradimento vccidono qualched'vno, ne à gli Heretici, ne à quelli, che ſono rei di leſa Maeſtà contro la perſona dell'iſteſſo*

*Princi-*

*Principe, & perciò commanda à tutte le perſone Eccleſiaſtiche, che ſenza incorrere in pena d'irregularità, ò cenſura alcuna, quando ſaranno ricercati da gli Officiali della Corte ſecolare poſſino fare prendere i detti delinquẽti, che ſi ſaranno ſaluati, ò dimoreranno ne ſopradetti luoghi ſacri. Dichiarando però, che gli Officiali, Giudici, ò Miniſtri della Corte ſecolare, ne anco in detti caſi poſſa tirar fuori da luoghi ſacri, ò incarcerare delinquenti ſenza eſpreſſa licenza del Veſcouo, ò ſuo Officiale, & con interuento di qualche perſona Eccleſiaſtica c'habbia da lui hauuta in ciò auttorità. A quali ſoli, & non ad altri inferiori di Veſcoui (ancorche foſſero Ordinarij, ò di niuna Dioceſi) appartenga di dare tale licenza; & occorrendo il caſo in luoco eſſente, ò di niuna Dioceſi; all'hora la cognitione di queſto, & il dar licenza ſia rimeſſa al Veſcouo più vicino.*

*Vuole di più che tutti li delinquenti, quali con licenza del Veſcouo, ò ſuo Officiale come di ſopra ſaranno cauati fuori de luochi Sacri, ſiano primieramente condotti alle Pregioni della Corte Eccleſiaſtica, & di là non ſiano eſtratti, & dati in poter di Miniſtri Secolari ſe prima il Veſcouo, ò Giudice da lui deputato non haurà conoſciuto, che veramente habbiano commeſſi almeno alcuno de ſudetti delitti.*

*Vuole anco, che la cognitione del delitto, dell'Hereſia appartenga tutta al foro Eccleſiaſtico, ne in alcuno modo in quella s'intrometti la Corte Secolare; alla quale anco prohibiſce*

*hibiſce il procedere contra perſone Eccleſiaſtiche così Secelari, come Regolari, di qual ſi voglia Ordine, ouer militia, anco di quella di Santo Giouanni Geroſolimitano per vigore di qual ſi voglia Priuilegio.*

*Finalmente dichiara, che qual ſi voglia perſona, che preſumerà di tentare coſa alcuna contra, o fuor di quello, che è ſtatuito in queſta Bolla, incorre di ſubito nelle cenſure, & pene, che contra gli Violatori della libertà, & immunità Eccleſiaſtica ſono ſtatuite, & promulgate da Sacri Canoni, Concilij Generali, ò Conſtitutioni de Sommi Pontefici. Non oſtante qual ſi voglia coſa in contrario, quali vuole che tutte nella preſente s'habbiano per eſpreſſe, & le reduce al termine di queſta Conſtitutione, publicata in Roma ne i luochi ſoliti l'anno 1591.*

*CONSTITVTIO S. D. N. CLEM. PAPA VIII. Confirmationis, Declarationis, & Extenſionis Conſtitutionum Apoſtolicarum, & Decreti Concilij Tridentini, contra pugnantes in Duello publicè, vel priuatim; Necnō contra mittentes, ſcribentes, aut diuulgantes chartulas prouocatorias, aut ſcripta, quæ dicuntur manifeſta, eorumq; fautores, & complices.*

*Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

ILlius vices, licet immeriti gerentes: qui, vt animas ſuorum fidelium à peccato, & diaboli laqueis liberaret, è cœlo deſcendens, humana carne aſſumpta, ne proprio quidem ſuo pretioſiſſimo ſanguini pepercit,

perçit,ſed ſe ipſum in Ara Crucis immaculatam hoſtiam æterno Pa
tri offerre voluit; in hanc præcipuè curam ſummo ſtudio incumbi-
mus,vt eaſdem animas inæſtimabili pretio redemptas,aduerſus Sa-
thanæ fraudes,quantum in nobis eſt,illæſas præſeruemus; præſer-
tim verò totis viribus nobis à Domino traditis exterminemus exitia-
lia quædam, atque enormia peccata, quibus Diuina Maieſtas gra-
uiùs offenditur; quæq; eodem fabricante humani generis hoſte in-
uenta,atq; introducta ſunt, vt ex cruenta corporum morte animarũ
etiam ſimul interitus,ac pernicies ſequatur. Rectè ſi quidem & ſa-
lubriter fel.rec.Pius Papa IV.prædeceſſor noſter,poſt alios complu
res ſuos,noſtroſq; prædeceſſores,qui deteſtandum, diuina, natura-
lique lege,ac Sacris Canonibus damnatum duellorum abuſum ſuis
etiam Conſtitutionibus ſeuerè prohibuerant, graueſq. pœnas con-
tra quoſcunque temporali ditioni S.R.E.mediatè,vel immediatè ſu
biectos eius criminis quomodolibet reos;vel participes inflixerant,
cupiens non ſolùm in terris prædictis,ſed aliàs vbilibet, animarum
periculis obuiare,Principes,ac Domicellos permittentes in ſuis Do
minijs id patrari,ac etiam extra Terras, & loca ditioni Eccleſiaſticæ
ſubiecta,huiuſmodi duella,ſeu ſingularia certamina,aut diffidatio-
nes deſuper facientes,ac ad id inuitantes,prouocantes,auxilium, cõ
ſilium, vel fauorem dantes; illiſq; aſtantes,& intereſſentes,necnon
chartas deſuper ſubſcribentes, aut publicantes, ſeu de illis ſe intro-
mittentes ſingulos Imperatore,ac Regibus inferiores, maioris excõ
municationis,ac (ſi Eccleſiaſtici fuerint) vltrà eam, etiam priuatio-
nis oĩum dignitatum,beneficiorum,& officiorum eccleſiaſticorum,
inhabilitatiſq; ad illa,& alia impoſterũ obtinenda,pœnis ſubiacere,
eaſq; incurrere voluit,à quibus non niſi à Rõ. Põtif. abſolui poſſint.
Sed & poſtmodum generalis Tridentina Synodus ad exterminan-
dum penitus ex Chriſtiano orbe hoc malum, ſtatuit, vt Impera-
tor, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocũ-
que alio nomine Domini temporales, qui locum ad monoma-
chiam in terris ſuis inter Chriſtianos conceſſerint, eo ipſo ſint ex-
communicati,ac iuriſdictione,& dominio Ciuitatis,Caſtri, aut lo-
ci,in quo,vel apud quem duellum fieri permiſerint, quòd ab Eccle
ſia obtinent,priuati intelligantur, & ſi feudalia ſint, directis domi-
nis ſtatim acquirantur. Qui verò pugnam commiſerint,& qui eo-
rum Patrini vocãtur,excommunicationis,ac omnium bonorum ſuo
rum proſcriptionis,ac perpetuæ infamiæ pęnam incurrant:& vt ho
micidæ,iuxta ſacros Canones, puniri debeant: Et ſi in ipſo confli-

ctu deceſſerint, perpetuò careant Eccleſiaſtica ſepultura. Illi etiam, qui conſilium in cauſa duelli tam in iure, quàm facto dederint, aut alia quacunq; ratione ad id quemquã ſuaſerint, necnon ſpectatores, excommunicationis, & perpetuæ maledictionis vinculo teneantur.

Quas pœnas nouiſſimè piæ me. Gregorius Papa XIII. pariter prædeceſſor noſter extendit aduerſus illos etiam omnes, qui non publicè, ſed priuatim ex condicto, ſtatuto tempore, & in loco Conuento Monomachiam commiſiſſent, etiam Patrinis, ſocijſuè non vocatis, & loci ſecuritate non habita, & prouocatorijs litteris minimè præcedentibus, etiam contra locorum Dominos, ſi id (quantum in ſe fuerit) non prohibuiſſent, cæteroſq; ſupradictos criminis ſocios, & ex compoſito ſpectatores, etiam ſi pugnam ob aliquod impedimentum non commiſiſſent, ſi ad locum acceſſiſſent pugnaturi, & per eos non ſtetiſſet quominus pugnarent.

Verũ quia cũ magna animi noſtri moleſtia intelleximus adhuc in quibuſdã, præſertim tranſalpinis, ac remotis regionibus, & potiſſimùm vbi bella vigent, caſtrenſi quadã, & militari licentia, ſeu veriùs audacia, pernicioſũ hoc ſcelus inter fideles exerceri, quaſi fas ſit in ſolo hoſtili, vbi Chriſtiani nominis, ſeu Catholicæ fidei hoſtes tyrãnidẽ exercent, ſiue hæreſes, & ſchiſmata impune graſſantur, ſiue inter ſigna, & caſtra militaria in caput ſuorum fratrum impios conuertere mucrones, quos multo ſalubriùs contra Chriſti aduerſarios ſtringi par eſſet: Nos nefaria diaboli arma ſalutari Eccleſiæ gladio ad continendos in officio fideles nobis præcipuè ipſius Domini auctoritate tradito retundere, atque à ceruicibus gregis Domini noſtræ curæ crediti, quantum (eodem Deo adiutore) eniti poſſumus, propulſare cupientes, prædictas omnes Conſtitutiones ac Decretum Concilij Tridentini cum omnibus, & ſingulis in eis contentis cenſuris, & pœnis, decretis, extenſionibus, quarum, & quorum omnium tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, & ad verbum inſertis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò approbamus, cõfirmamus, & innouamus. Ac inſuper auctoritate, & tenore præmiſſis decernimus, & declaramus eaſdem Conſtitutiones, ac decretum locum habere vbique gẽtium, & terrarum, inter quaſcumque perſonas, etiam armatas, & in caſtris ſeu propugnaculis militantes, etiã vbi noſtrorum, & S. R. E. aut Catholicæ fidei hoſtium furor impunè graſſatur, vel in Dominijs per eos occupatis, & detẽtis. Idem quoque iuris cenſendum eſſe, ſi publico & forſan iuſto bello indicto miles aliquis contra alterum in aduerſariorum exercitu militãtem,

ſiue

ſiue alias in hoſtium Caſtris præſidijs, aut Terris degentem, priuatas ſimultates, atque inimicitias publicæ cauſæ intermiſcendo, etiam Ducum permiſſu ex condicto ad ſingulare certamen deſcendat, aut illum prouocet. Necnon iiſdem pęnis, decreto, & Conſtitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initæ ſint de dirimendo certamine cum primùm alteruter vulneratus fuerit, ſeu ſanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus vtrinque illatus fuerit. Vel ſi conuenerint, vt nō ſinguli, cum ſingulis, ſed bininterni, aut plures hinc inde pugnent. Et non ſolùm locorum Dominos, ſed etiam Magiſtratus, Præſides, Locumtenens, aut etiam militum Duces, & Capitaneos in Caſtris, vel extra ea, in alieno, vel hoſtili ſolo, vel cū militibus exercitus aduerſariorum monomachiam In quocunque caſu per præſentem, vel alias Conſtitutiones huiuſmodi prohibito, permittentes, vel quantum in ipſis eſt, non prohibentes, aut poſt admiſſum crimen, veniam & impunitatem concedentes.

Prætetea pari ratione prohibemus oīa, & ſingula eius generis ſcripta, manifeſta, ſeu fides vulgo appellata, quæ etiam ſine expreſſa prouocatione ad certamen, tamē quaſi præparatoria quædā ad chartulas, ſeu libellos prouocatorios & ad duellū, illorūq. veluti radices, aut ſemina, vt plurimum laceſſendi aliquem ad pugnam, & ſuſcitandæ ſimultatis, atq; inimicitiæ materiam, & occaſionem præbent. Dum .C in illis per modum Epiſtolæ, libelli, aut publicæ atteſtationis, & intimationis, ſiue per authentica documenta, ſiue per vnius, pluriūvè chirographum, ſubſcriptiones, aut relationes ſub prætextu proprij, vel alieni honoris, & famæ, more militari, atque vt vulgò dicitur, caualleresco, tuendi, aut lædendi, ſiue ad illatæ, propulſatæue cōtumeliæ, aut iniuriæ probationem; ſeu tollendam illius ſuſpitionē rei alicuius geſtæ ad id pertinentis, vel verborum, aut reſponſionū ſeries, & ordo, narratur; Vel ex ſimili abuſu hac de cauſa aliquid tale adeò firmiter aſſeritur, aut negatur, vt qui contradixerit, is, ſiue nominatim, ſiue in genere mendacij arguatur, aut mentiri dicatur. Aut ad hunc effectum ex militari etiam conſuetudine quæritur, delaratur, aut reſpondetur, qua mente, aut quo ſenſu quippiam eiuſmodi, quod ad ſuperiùs expreſſa ſpectet, geſtum dictumvè ſit. Vel denique offert ſe quiſpiam contra certam, vel incertam perſonam, vel generatim contra quemcumque ad probandum armis, & verificandum etiam inito certamine aliquid ita eſſe, aut fuiſſe, vel non fuiſſe. Necnon quaſcunque etiam ſine ſcripto factas talium rerum ſupradicta quoquomodo concernentium, & ob huiuſmodi cauſas in lo-

cis

cis publicis, vel priuatis, vbi hominum multitudo cõuenire ſoleat, denunciationes, narrationes, declarationes, & teſtificationes.

Volentes eos oẽs & ſingulos, qui ſuo, vel alieno nomine ad effectum, de quo ſuperius dictum eſt prædicta, vel his ſimilia, multoq; magis ad certandum prouocatoria ſcripta, libellos, epiſtolas, earumue exẽpla dictauerint, compoſuerint, ſcripſerint, miſerint, detulerint, diuulgauerint, affixerint, exemplauerint, typis impreſſerint, ſubſcripſerint, intimauerint, vel etiam verbo denunciauerint, ſiue atteſtati fuerint. Quive alijs ad ſingulare certamen, publicè, vel occultè ineũdum, vel ad prouocandum aliquem ad pugnam, ſiuè ad huius generis ſcripta, quæ manifeſta, quæque chartulæ prouocatoriæ appellantur ſcribenda, dictanda, mittenda, deferenda, diuulganda, auxilium, conſilium, operam vel fauorem præſtiterint, ſiue id ſuaſerint, aut mandauerint, quiue in præmiſſis, vel eorum aliquo ſe quomodolibet immiſcuerint, etiam ſineq; pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec acceſſus, aut actus ad pugnam proximus, neque expreſſa, & aperta prouocatio ſubſecuta fuerit, neque ſcriptiones prædictæ, quæ manifeſta dicuntur, in publicum prodierint, aut cuiquam innimatæ extiterint, ſi per eos non ſtetetit, quominus publicatio, aut denunciatio fieret, Nihilominus cenſuris & pœnis omnibus in præſenti & alijs prædictis Conſtitutionibus & Decreto contentis ſubiacere tam ſi ſuperiùs enumeratis, quàm ſi alijs etiam maioribus Eccleſiaſticis, vel mundanis, dignitatibus, gradibus, & præeminentijs excellant. Quinimo de nouo etiam per preſentes ex parte Omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, excommunicamus, & anathematizamus, maledicimus, & execramur omnes, & quoſcunque, publicè, vel priuatim, palàm, vel occultè, in quibuſcunq; locis, modis, & formis, ac caſibus ſub præſenti noſtra, vel alijs prædictis Conſtitutionibus ac Decreto, comprehenſis, ſingulare certamen (quod Duellum vulgo dicitur) ex compoſito ineuntes, necnon id ſcelus ſuadentes, aut prouocantes, opem, conſilium, vel fauoré præſtantes, equos, arma, & commeatus præbentes, aut committantes, vel circa chartulas, ſeu libellos, litteras, Nuncios, aut quæcunque alia ſcripta huiuſmodi quomodolibet peccantes, huiuſq; delicti ſocios de induſtria ſpectatores, patrinos, fautores, defenſores, quacunq; tã ſuperius expreſſa, quàm alia Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeát dignitate; Ita vt ſingulares etiam perſonæ cuiuſlibet Cõmunitatis, Vniuerſitatis, Collegij, aut Reipublicæ, quæ huius criminis participes quoquomodo fuerint, nequaquam excuſentur, ſed ſupradictos

omnes,

omnes,eorumq; ſingulos ipſo facto,abſque vlla monitione, Iudicis decreto,aut miniſterio perpetui anathematis, excommunicationis maioris,& maledictionis æternæ mucrone perculſos, & damnatos harum ſerie declaramus; & ſi in ipſo conflictu obierint ſepultura Eccleſiaſtica perpetuò priuatos eſſe volumus: Ipſas verò Ciuitates, Terras,Oppida,vel Caſtra,& loca, in quorũ Territoriis id facinus ſcientibus, & tacitè, vel expreſsè permittentibus, aut tolerantibus Dominis,aut Magiſtratibus,vel Senatu,aut Populo, admiſſum fuerit,Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, cuius interdicti relaxationem,aut excommunicationis abſolutionem, ab alio,quàm à nobis, aut pro tempore exiſtente Romano Pontifice pœnitentia & ſatisfactione congruè peracta, niſi in mortis articulo conſtituti nequant obtinere, etiam prætextu quarumuis facultatum,& indultorũ quibuſuis perſonis tam Eccleſiaſticis cuiuſcunque ordinis, aut militiæ, ſtatus,gradus,aut conditionis exiſtentibus, quàm laicis,etiam Imperiali,regali,vel alia mundana præeminentia inſignitis,per Sedem Apoſtolicam in genere, vel in ſpecie conceſſorum. Quæ omnia, quoad præmiſſa,nolumus cuiquam in aliquo ſuffragari. Pœnis alijs tam ſpiritualibus, quàm temporalibus contra eos inflictis nihilominus in ſuo robore permanſuris. Vniuerſos autem & ſingulos chariſſimos in Chriſto filios noſtros Imperatorem,Reges, ac Dilectos filios nob. Viros Duces, etiam armorum & exercituum, Marchiones,cæteroſq; Principes Chriſtianos,necnon Dominia,Potentatus, Communitates,& Vniuerſitates Ciuitatum,Oppidorum,& Caſtrorum,illorumq; Domicellos,& Dominos temporales, ac etiam Militum & copiarum tam equeſtrium, quàm pedeſtrium Ductores, Tribunos,præfectos, Capitaneos, in quibuſcunque etiam nobis & S. R. E. temporali iuriſdictioni non ſubiectis locis conſtitutos, cuiuſcunque gradus, præeminentiæ, & nobilitatis exiſtentes, hortamur, rogamus, & obteſtamur per viſcera D.N. Ieſu Chriſti,vt eius diuini nominis intuitu pro ſua erga eundem Deum, per quem regnant Reges,& à quo Principatus acceperunt, pietate, atque erga nos, & ſanctam hanc Sedem reuerentia, & deuotione,non modò nihil tale in ſuis Dominijs fieri permittant, nec vllo modo conniueant,ſed hoc malum omni ſtudio,diligentia, & auctoritate exterminare totis viribus procurent, & contra quoſcunque delinquentes,& (vt præfertur) quomodolibet complices,& participes etiam temporalibus pœnis grauiſſimis animaduertant, & per ſuos Officiales, & Curiæ miniſtros procedi curent: ſcituri ſe obſequiũ Deo per-

pergratum, perque acceptum præſtituros, ſi quo gladio ad tutelam bonorum. & ad propulſandos perditorum conatus ſunt accincti, eũdem ad vindictam huius peccati, & ad ſumendas de huiuſmodi criminis reis debitas pœnas exercuerint, contra verò memores, ſi in re tam graui malè ſe geſſerint, ſe in diſtricto Dei iudicio rationem in nouiſſimo die redditurus. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis etiam impreſſis Notarij publici manu ſuſcriptis, & perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ ſigillo obſignatis, eadem prorſus fides vbique gentium & locorum adhibeatur, quę ipſis præſentibus adhiberetur exhibitis vel oſtenſis: quodq; eædem præſentes in Lateranen. ac Principis Apoſtolorum de Vrbe Baſilicarũ, & Cancellariæ Apoſtolicæ valuis de more publicentur, affixis inibi earum exemplis per aliquẽ ex Curſoribus noſtris, & dimiſſis: quodque eadem publicatio, qui in Vrbe ſunt, poſt triduum, qui verò extra eam & citra montes, poſt duos menſes, vltra montes verò, poſt quatuor menſes, omnes, quos concernunt, perinde arctet & afficiat, ac ſi eorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę approbationis, confirmationis, innouationis decretorum, declarationis, prohibitionis, excommunicationis, anathematizationis, maledictionis, execrationis, hortationis, rogationis, obteſtationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire, Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incar. Dominicæ 1592. 16. kal. Septemb.

L. Dat.

M. Veſtrius Barbianus.

## SOMMARIO DELLA BOLLA DI N.S. Papa Clemente VIII. contra quelli, che combattono in duello publico, ò priuato, & i loro complici, & fautori.

*Pio quarto di felice memoria dopo molti altri ſuoi predeceſſori, (i quali prohibirono ſeueramente alli ſoggetti*

getti

getti al temporale Imperio della Romana Chieſa l'abuſo de' Duelli dalla diuina, & naturale legge, & da Sacri Canoni dannati; & fulminarono graui pene contra coloro, che in qual ſi voglia modo foſſero colpeuoli di tal peccato) deſiderando non ſolamente nelle predette terre, mà anco in tutte le altre à Chriſtiani Prencipi, ò Republiche ſoggette rimediare à pericoli dell'anime, Determinò, che non ſolamente i duellanti, ò che ſi ſfidano à Duello; mà anche tutti coloro, che à ciò fare inuitano, prouocano, danno aiuto, conſiglio, ò fauore, & coloro, che gli aſſiſtono, & dettano, ò ſottoſcriuono, ò publicano carte à ciò pertinenti, ò in qual ſi voglia altro modo in ciò s'intromettono (eccettuato l'Imperatore, e Rè) incorreſſero nella ſcommunica riſeruata al ſolo Sommo Pontefice, & in altre pene; & ſe foſſero perſone Eccleſiaſtiche incorreſſero anche nella priuatione di tutte le dignità beneficij, & officij Eccleſiaſtici, & foſſero inhabili à tener quelli, & altri per l'auenire.

Dopò il Sacro Concilio di Trento per ſradicare queſto male ordinò, che l'Imperatore, Rè, Duchi, Prencipi, & altri Signori temporali di qual ſi voglia altro titolo, i quali concedeſſero luogo per far Duello nelle terre loro fra Chriſtiani ipſo facto foſſero ſcommunicati, & s'intendeſſero priuati della giuriſdittione, & dominio della Città, Caſtello, ò luogo, che teneſſero dalla Chieſa, nel quale, ò appreſſo del quale hauranno permeſſo, che ſi faceſſe

 il

*il Duello, & ſe foſſero Feudi ſubito ricadeſſero à i loro diretti padroni.*

*Quelli poi, i quali commetteſſero il Duello, & i loro Padrini incorreſſero la pena della ſcommunica, & la priuatione di tutti i loro beni, & perpetua infamia, & doueſſero eſſer puniti come homicidiali, conforme à i Sacri Canoni, & ſe moriſſero in eſſo conflitto, foſſero priuati in perpetuo dell'eccleſiaſtica ſepoltura; Mà quelli, i quali haueſſero dato conſeglio in cauſa de' duelli, ouero à ciò perſuaſo, & anco i riguardāti eſpettatori foſſero ſottopoſti alla ſcommunica.*

*Quali pene vltimamente Gregorio Decimoterzo ampliò contro di quelli, i quali non in publico, mà in priuato penſatamente d'accordo in tempo determinato, & in luogo conuenuto combatteſſero in duello, & ancorche non haueſſero chiamati Padrini, & Compagni, è non haueſſero hauuto ſicurtà di luogo, & non foſſero procedute lettere prouocatorie, & anco contro i Patroni de' luoghi, ſe il ſopradetto Duello (quanto alle loro forze) non haueſſero prohibito; Et tutti li altri Compagni nel detto Duello, & quelli che penſatamente, & a queſto effetto ſtaſſero à riſguardare, ancorche la pugna per qualche impedimento non foſſe ſeguita, purche foſſero andati al luogo per combattere, & per loro non foſſe reſtato di combattere.*

*Finalmente N. S. Papa Clemente VIII. ha approuato, confirmato, & innouato le ſopradette Conſtitutioni, & Decreto del Conc. di Trento con le pene, che in quelle ſi contengono,*

*no, & di più hà dichiarato, che habbiano luogo in ogni ſorte di genti, & terre, fra quali ſi vogliano perſone, ancorche armate, & militanti in guerra, & con licenza de' loro Capitani, ſe ciò fanno per priuate, inimicitie, & controuerſie, non oſtante, che vi ſi meſchiano cauſe publice. Similmente vuole, che ſiano obligati alle ſopradette pene quelli, tra li quali ſono fatti patti di finire la battaglia alla prima ferita, ouero effuſione di ſangue, ouero ad vn certo numero di colpi tra l'vno, e l'altro.*

*Hà dichiarato ancora, che non ſolo habbiano luogo, quando da vno ad vno, mà quando due con due, trè ò più dall'vna, & l'altra parte combatteranno. Et non ſolo contra i padroni de' luoghi, mà ancora contra i Magiſtrati, Preſidenti, Luoghitenenti, ouero ancora Capitani in guerra, ò fuor di guerra, ancorche in luogo alieno, ò de' nemici, in qual ſi voglia caſo per la preſente, & altre ſimili Conſtitutioni prohibito permettono Duello, ouero non lo prohibiſcono quanto poſſono, ò dopò commeſſo fanno gratia, ò laſciano impuniti tali delinquenti.*

*Di più per l'iſteſſa ragione prohibiſce tutte, & qual ſi vogliano ſcritture, Manifeſti, ò fede, le quali ancorche ſiano ſenza eſpreſſa prouocatione à battaglia, ſono nõdimeno quaſi certi preparatorij à cartelli prouocatorij, & à Duello, & danno occaſione d'inimicitia, & di battaglia, mentre in quelle per modo d'Epiſtola, ò publica atteſtatione, per ſottoſcrittione di vno, ò di più, ouero relatione ſotto preteſto di difendere il proprio, ouero l'altrui honore, & fama, ò of-*

ſenderla, ouero per prouar, ò toglier il ſoſpetto di qualche coſa fatta pertinente à quella; ouero ſi racconta l'ordine delle parole, ò riſposte, ouero da ſimile abuſo per queſta cauſa, qualche coſa tale coſi fermamente affermaſi, ò negaſi, che qualunque contradirà, (ò ſia general, ò particolarmente nominato) venga notato di bugia, ò ſi dica, mentire, ouero à queſto effetto ſi cerca; ſi dichiara, ouero ſi riſpõde à che fine, ouero in che ſenſo ſia detto, ò fatto alcuna coſa di quelle, ch'alle già di ſopra eſpreſſe appartengono, ò finalmente qualunque ſi offeriſce contra certa, ò incerta perſona, ò generalmente contra qual ſi voglia àprouar con armi, & verificare venendo alle mani alcuna coſa eſſer tale, ò eſſer ſtata, ò nõ ſtata coſi. Medeſimamente prohibiſce qualũque denũciationi, narrationi, dichiarationi; & teſtificationi di coſe di cotal ſorte alle già dette in qual ſi uoglia modo pertinenti, fatte anco ſenza ſcrittura in luoghi publici, ò priuati, oue ſoglia redurſi moltitudine di perſone.

Volẽdo che tutti quelli, & ciaſcuno, ilquale in ſuo nome, ò d'altri ad effetto come di ſopra s'è detto, haurà dettato, compoſto, ſcritto, mandato, portato, diuolgato, affiſſo, traſcritto, ſtampato, ſottoſcritto, intimato, ouero con parole manifeſtato, ò atteſtato le ſopradette coſe, ò ſimili, & molto più le ſcritture prouocatorie, libelli, lettere, ò loro copie, che ſfidano à combattere; Parimente ch'haurà dato aiuto, conſeglio, opera, ò fauore, ò eſſortato, ò datto commiſſione ad altri d'intrare in battaglia da ſolo à ſolo publicamente, ouero occultamente, ò di ſfidare alcuno à combattere, ò di ſcriuere, dittare, mandare, portare, diuulgare ſcritture

re

*re in tal materia che ſi chiamano Manifeſti, è Cartelli da ſfida, ò quelli che nelle predette coſe in qual ſi voglia modo ſi ſaranno impediti, ancor che non ne ſia ſeguito ne battaglia, ne effetto alcuno, ne acceſſo è atto propinquo alla battaglia, ne ſfida eſpreſſa, e chiara, ne meno ſiano vſcite in publico le già dette ſcritture chiamati Cartelli, ne ſiano ſtate ad alcuno intimate, ſe pur da loro non ſarà mancato di fare, che foſſero publicate, & denontiate, nientedimeno vuole, che tutti ſiano ſottopoſti alle cenſure, & à tutte le pene contenute nella preſente, & nell'altre ſopradette Conſtitutioni, & Decreto.*

*Anzi di nuouo ſcommunica, & maledice tutti, & qual ſi voglia perſona, che publicamẽte, ò priuatamente, illa ſcoperta, ò occultamente in qual ſi voglia luoghi, modi, forme, & caſi cõpreſi in queſta & altre Cõſtit. & Decreto, verrà d'accordo à battaglia particolare, che volgarmente ſi dice Duello, & anco quelli che perſuaderãno tal ſceleraggine, o prouocarãno, o darãno cõſeglio, aiuto, ò fauore con Caualli, armi, vittuaglie, ò gl'accõpagneranno, ò in qual ſi voglia modo, con Cartelli, lettere, nũcij, ò qual ſi voglia altro ſcritto di tal ſorte cõtrauerrano, & à poſta ſaranno ſpettatori di maniera, che in modo alcuno nõ ſiano ſcuſate le perſone particolari di qual ſi voglia Cõmunità, Collegio, ò Republica, i quali in qual ſi voglia maniera ſaranno ſtati partecipi di tal delitto; mà tutti li ſopradetti, & ciaſcuno di loro in particolar ipſo facto sẽza alcuna monitione, ò decreto di giudice gli dichiara ſcõmunicati, e dãnati, & ſe morirãno in detto cõflitto, vuole che ſiano perpetuamẽte priuati del*

l'Eccle-

*l'Eccleſiaſtica ſepoltura, Et interdice le Città, Caſtella, & luoghi, ne' cui Territorij tal delitto ſarà commeſſo, ſapendolo, & tacitamente, ouero eſpreſſamente permettendolo, ò tolerandolo i Signori, i Magiſtrati, ò Senato, ò Popolo.*

*La relaſsatione del qual interdetto, & aſſolutione della ſcommunica, neſſuno poſſa ottenere da altri, che dal Romano Pontefice, (hauendo fatta la penitenza, & conueniente ſodisfattione, eccetto ſe foſſe poſto in articolo di morte) ancor ſotto preteſto di qual ſi voglia facoltà & indulto à qual ſi vogliano perſone, così Eccleſiaſtiche di qual ſi voglia ordine, come à laici ancorche Imperatore, Regi, & di qual ſi voglia altra mondana preeminenza ornati, dalla Sede Apoſtolica in generale, ò ſpecialmente conceſſi, liquali tutti, quanto alle coſe permeſſe, vuole, che non poſſino in coſa alcuna giouare, reſtando però ferme tutte l'altre pene, così temporali, come ſpirituali contro quelli ſtatuite.*

*Et dopò la publicatione della preſente fatta in Roma, quelli, che ſi ritrouaranno in Roma dopò tre giorni, & quelli che fuor di quella ſaranno, ſe di quà da monti, dopò due meſi, ſe di là da monti, dopò quatro meſi. Si che tutti coloro, che da queſta compreſi ſono, di tal maniera reſtino coſtretti come ſe à qual ſi voglia di loro perſonalmente foſſe ſtata intimata.*

*Fù publicata in Roma ne i luoghi ſoliti il dì 2. Settēb. 1592.*

CON-

*CONSTITVTIO S. D. N. CLEM. PAPAE VIII. Super executione decreti Concilij Tridentini ſeſſ. 25. cap. 14. contra Regulares non ſubditos Epiſcopo, intra clauſtra degentes, & extra ea ita notoriè delinquentes, vt populo ſcandalo ſint, ac contra eorum ſuperiores illos punire negligentes, aut impunitos ad alia ſuorum ordinum loca tranſmittentes, vel tranſmiſſos ad locum, in quo deliquerunt, non reuocantes.*

*Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

SVſcepti muneris ratio poſtulat, vt ea, quæ in ſacro Tridentino Cõcilio prouidè conſtituta ſunt, ab ijs, ad quos ſpectat, inuioſate obſeruari curemus. Maturo ſanè conſilio ipſius Concilij Decreto prouiſum eſt, vt quicunq; regularis non ſubditus Epiſcopo, intra clauſtra degens, extra ea ita notoriè deliquerit, vt populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, à ſuo ſuperiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſeuerè puniatur, & ſuperior de punitione Epiſcopum certiorem faciat, ſin minus, ipſe à ſuo item ſuperiore officio priuetur: & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit. Verùm quia experientia compertum eſt, interdum in huiuſmodi Decreti executione nimis remiſsè procedi, cùm enim Epiſcopus inſtat, aliquem regularem, eo, quo ſupradictum eſt, modo, delinquentem, à ſuo ſuperiore puniri, ſæpe fit, vt ſuperior, regularem delinquentem ad alia ſuorum ordinum loca, extra Epiſcopi Diœceſim, ex induſtria impunitum tranſmittat, atq; etiam ipſe aliquando ad alias prouincias ſe conferat, nec vlterius ſuper delinquẽtis exceſſibus inquirat, & de eius punitione Epiſcopum certiorem reddat; Vnde nec regularis delinquẽs tunc ab Epiſcopo puniri poteſt, cum extra ipſius Diœceſim exiſtat, neč ſuperior, qui delinquẽtem corrigere negligit, officio priuatur. Nos pro paſtorali noſtra ſolicitudine præfati Decreti executioni, quantum cum Domino poſſumus, fauere, & præmiſſis malis (vt par ſt) opportuno aliquo remedio occurrere volentes, de Venerabiliũ

Fratrum

Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium prædicti Concilij interpretum ſententia; Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtris, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura cõſtitutione, omnibus, & ſingulis cuiuſcumque ordinis, & inſtituta regularium, etiam mendicantium ſuperioribus, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub indignationis noſtræ, ac priuationis dignitatum, & officiorum per eos obtentorum, eo ipſo incurrendis pœnis, præcipimus, & mandamus, vt iuxta prædictum decretum, quilibet ipſorum, regularem non ſubditum Epiſcopo intra clauſtra degentem, & extra ea ita notoriè delinquentem, vt populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, ſeuerè puniat, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat, & aliàs decretum ipſum in omnibus, & per omnia exequatur. Cæterùm ſi ſuperior in regularem delinquentem non animaduerterit, quinimo ſi illum impunitum ad alia ſuorum ordinum loca, extra Epiſcopi diœceſim, vt præfertur, tranſmiſerit, volumus, & ſimili motu, atq; auctoritate decernimus, vt ſuperior inſtante Epiſcopo, intra terminum ab Epiſcopo præfigendum, & ſub eiſdem indignationis noſtræ, ac priuationis dignitatum, officiorum obtentorum, nec non & ſub inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinente, ac vlterius priuationis actiuæ, & paſſiuæ vocis, ad quas a nemine præterquàm à nobis, & à Romano Pontifice pro tempore exiſtenti reſtitui poſſit, ipſo facto ſimiliter incurrendis pœnis, ipſum regularem delinquentem à loco, ad quem tranſmiſſus fuit, reuocare, & in quo deliquit conſtituere, ſeu ſiſtere teneatur. Quòd ſi hoc etiam facere prætermiſerit, per præſentes ſimiliter ſtatuimus, vt Ordinarius loci, ad quē regularis delinquens tranſmiſſus fuerit, ſuper præmiſſis ab ipſo Ordinario loci, in quo deliquit, ſimiliter requiſitus, vel aliàs de illius delicto informatus, vt præfertur, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, prædictum Concilij decretum omnino exequi, & in regularem delinquentem ſeuerè animaduertere poſſit, & debeat. Decernentes ſic, & non aliter per quoſcunque Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungẽtes, etiam eiuſdem Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbiq; iudicari, & diffiniri debere. Irritum quoq; & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, Non obſtantibus quibuſuis eorundem ordinum, vel inſtitutorum etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmi

tatè alià roboratis ſtatutis,& conſuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & litteris Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis,confirmatis,& approbatis,cæteriſq; contrarijs quibuſcumque. Vt autem præſentes litteræ omnibus ſupradictis innoteſcant, mandamus illas ad valuas Eccleſiæ S. Ioannis Lateranen. & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Vrbe,ac in acie Campi Floræ affigi,& publicari: volumuſq; poſt quindecim dies, eos, qui in Vrbe ſunt,qui verò extra eam,& citra montes, intra quatuor,qui demum vltra montes erunt intra octo menſes,à die publicationis huiuſmodi computandos,perinde afficere, & arctare, ac ſi eorum vnicuique perſonaliter intimatæ fuiſſent,ac earundem præſentium litterarum exemplis,etiam impreſſis,manu Notarij publici ſuſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ obſignatis, eandem fidem in iudicio, & extra illud haberi, quæ ipſis præſentibus haberetur,ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum præcepti, mandati,voluntatis, decreti, & ſtatuti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo nonageſimoquinto, ſeptimo kal. Martij. Pontificatus Noſtri Anno Quinto.

L. Card. Prodat.

M. Veſtrius Barbianus.

## *CONSTITVTIO S. D. N. D. CLEM. PAPAE VIII.*

*Moderatoria Bullæ fe. re. Sixti Papæ V. contra Clericos malè promotos, ac in Epiſcopos in ordinum collatione peccantes.*

*Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.*

ROmanum Pontificem decet, ea, quæ ob iuſtas cauſas interdum ſtatuta ſunt, cum ipſa rerum experientia ſuadet, moderari, &

SS immu-

immutare, prout in Domino ſalubriter conſpicit expedire. Alias ſane emanarunt litteræ fe. re. Sixti Papæ V. Prædeceſſoris noſtri, contra Clericos malè promotos, ac in Epiſcopos in ordinum collatione peccantes, tenoris infraſcripti videlicet. Sixtus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sanctum, & ſalutare ſacri ordinis Sacramentum ab ipſo Domino, & Saluatore noſtro Ieſu Chriſto inſtitutum, beatiſq; Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus ſingulari diuinæ bonitatis munere traditum, ita ad Dei Omnipotentis gloriam, ſalutemq. animarum ſanctè, ac religioſè adminiſtrari decet, vt quæ vel ex typo & figura veteris legis, vel aliàs ex multa ſanctorum Patrum Prouidentia, circa ordinandorum natales, ætatem, vitæ ac morum probitatem, ſanctitatem, ſcientiam, & alias qualitates in ſacris ordinationibus requiſitas per ſacros Canones, vel Apoſtolicas Conſtitutiones, aut generaliũ Conciliorum decreta, ſalubriter ſtatuta fuerunt, ea inuiolatè obſeruentur. Nam ſi in veteri teſtamento tam multa de integritate & munditia Sacerdotum & miniſtrorum altaris, deq; eorum præſtantia & dignitate legimus, de quibus dixit Dominus per Malachiam Prophetam, Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt: certè multo maior ratio & diligentia adhibenda erit in promouẽdis tam inferiorum graduum Clericis, quàm etiam Presbyteris, qui ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationẽ Corporis Chriſti conſtituuntur; prout de his ipſis & diuino verbo, & Beatorum Apoſtolorum præceptis, ac ſimul Sanctorum Patrum ſtatutis ſæpiſſimè traditum eſt. Quare nos pro ea, quæ nobis à Domino iniuncta eſt cunctarum Eccleſiarum cura & ſolicitudine, ipſos Paſtores & Præſules Eccleſiarum, quorum proprium munus eſt, perſonas idoneas Clericali militiæ aſcribere, & ad minores, maioreſque ordines ritè promouere, auctoritate noſtra duximus admonendos, vt in exequendo hac in parte ſuo Paſtorali Officio attẽtiùs poſthac inuigilent, canonicas ſanctiones, vt par eſt, obſeruent, ac vt nemini detur offenſionis occaſio, neue eorum miniſterium vituperetur, ſtudeant vitare ea omnia ſcandala & abſurda; quæ ex vitioſa & minus Canonica Clericorum ordinatione cernimus cum magno animi noſtri dolore frequentius exoriri.

Cùm enim multi, etiam interdum inhabiles & indigni, nõ vocati ſancta Dei vocatione, ſed potius Satanæ dolis decepti, prætextu deuotionis & pietatis, rem quidem ſacram & diuinum munus, intempe-

ſtiuè

ſiue tamen & inordinatè, affectantes, ſeu temporale aliquod commodum, aut lucrum ſibi proponentes, vel nimia ſimplicitate & imperitia, malitiaue aut fraude ad ſuſcipiendum Clericalem characterem, alioſq; ordines, ante ætatem legitimam, vel à non ſuo Epiſcopo, aut non præuio debito examine & approbatione, ſiue alias minus ritè, vel etiam temerè ſe ingerant. Debent ſanè Epiſcopi paterna charitate & prudentia eorum ſaluti, qui ſæpe neſciunt quid petant, meliùs etiam, quàm ipſimet poſtulant, & ſalubrius conſulere, nec tam quid flagitent, quàm quid expediat conſiderare: ſumma verò diligentia prouidere, tum in alienæ Diœceſis ſubditis ordinandis, ne quemquam promoueant ſine eorum Ordinarij literis dimiſſorijs, tum in recognoſcendis ipſis litteris, ne falsò, aut ab aliquo, qui auctoritatem illas concedendi non habeat, confectæ ſint, tùm denique in examinandis natalibus, ætate, vita, moribus, ſcientia, idoneitate, titulo, & reliquis qualitatibus, ne quid in ſuæ vel alienæ diœc. perſonis ad Clericalem honorem, & Eccleſiaſticos ordines promouendis deſideretur eorum, quæ ex præſcripto ſacrorum Canonum requiruntur.

Vt igitur Præſules Eccleſiarum intelligant, ſi in re tam graui & tāti momenti culpa, aut negligentia peccauerint, ſe non modo in tremendo Dei iudicio, verùm in hoc quoque ſeculo Rom. Pontifici ſuæ villicationis rationem fore reddituros; Præſenti Conſtitutione perpetuò ſtatuimus, & ordinamus, vt ſi in poſterum Antiſtes aliquis Epiſcopali, Archiepiſcopali, Primitiali, vel etiam Patriarchali dignitate præfulgens, aut Abbas ad primam tonſuram minoreſq; ordines ſuis ſubditis conferendos à Sede Apoſtolica auctoritatem habens, quemcunque ſecularem, vel cuiuſuis ordinis, aut militiæ regularem, ex aliquo crimine, vitio, aut defectu, ſeu aliàs inhabilem, vel irregularem exiſtentem, vel extra tempora à iure ſtatuta, vel abſque veris dimiſſorijs ſui Ordinarij literis, aut per ſaltum, vel furtiuè, aut quo ad ſeculares ſine titulo ſufficientis beneficij, vel patrimonij, aut ante ætatem per ſacri generalis Tridentini Concilij decreta primæ tonſuræ, aut cuique ordini præſcriptum, aut non ſeruatis temporum interſtitijs, ita vt aliquis vnico die, ſeu continuatis diebus, ad plures ordines ſacros, vel poſt vnum ordinem ſuſceptum ſine cauſa rationabili antequam tempus ab eodem Conc. Tridentino præfixum elabatur, ad alium ordinem promoueatur, ſine diſpenſatione, aut indulto Apoſtolico, Clericali charactere non legitimè inſigniuerit, aut ad ordines minores, vel ſacros, vt præfertur, vel aliàs malè promouerit,

ſiue id ſcienter, ſiue ignoranter fecerit, niſi debita diligentia adhibita iuſtus error & probabilis facti ignorantia eum excuſet, vt, in quo deliquit, in eo puniatur, à collatione quorumcunq; ordinum atque adeò ipſius tonſuræ, & ab executione omnium munerum Pontificalium eo ipſo ſuſpenſus, & ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus exiſtat, alijsq; grauioribus pœnis noſtro, & pro tempore exiſtentis Rom. Pont. arbitrio puniatur.

Quòd ſi ſpreta huiuſmodi ſuſpenſione & interdicto in præmiſſis ſe temere ingeſſerit, etiam à regimine & adminiſtratione ſuæ Eccleſiæ, ſeu Monaſterij, & à perceptione fructuum menſæ eiuſdem, ac quorumcunq; beneficiorum per eum in titulum, vel commendam, ſeu aliàs obtentorum ſuſpenſionem, eo ipſo incurrat, eiuſq; interdicti, aut ſuſpenſionis relaxationem; aut pœnarum remiſſionem ab alio, quàm à Rom Pont. pro tempore exiſtente, nequeat obtinere.

Et nihilominus fe. rec. Pij I I. & aliorum Rom. Pont. noſtrorum prædeceſſorum, qui per ſuas Conſtitutiones, aut in Cancellaria Apoſtolica publicatas regulas contra huiuſmodi Clericos malè promotos, diuerſas pœnas inflixerunt, veſtigijs inhærentes, eoſdem Clericos poſthac malè promotos ab executione miniſterio & exercitio ordinum ſuſceptorum, & ab omni ſpe & facultate aſcendendi ad alios ſuperiores perpetuò ſuſpenſos declaramus; & ſi in eis miniſtrare præſumpſerint, illos ſic irregulares effectos, omnibus, & quibuſcunque per eos in titulum, commendam, aut alias obtẽtis dignitatibus, officijs, & beneficijs Eccleſiaſticis cum cura & ſine cura, quomodocunque qualificatis, ſecularibus, vel cuiuſuis ordinis aut militiæ regularibus; ac etiam ſi ipſi Clerici regulares fuerint, actiua, & paſſiua voce, ipſo facto priuamus, & ijs priuatos, atque ad illa & alia ſimilia, vel diſſimilia in poſterum obtinenda, in perpetuum inhabiles & incapaces eſſe decernimus & declaramus, dignitatum, officiorũ, & beneficiorum huiuſmodi, ſic pro tempore vacantium, diſpoſitionem nobis & Apoſtolicæ Sedis perpetuò reſeruantes.

Vt autem homines, qui nimia indulgentia & ſpe impunitatis, ac veniæ facilitate, hactenus fuerunt ad huiuſmodi facinora procliuiores, ea ſublata & præcluſa ab his abſtineant, & caueant in futurum, tam abſoluendi, quàm diſpenſandi facultatem in caſibus ſuperiùs expreſſis, etiam in foro conſcientiæ nobis & ſucceſſoribus noſtris dumtaxat, auctoritate & tenore præmiſſis, perpetuò reſeruamus; Inhibentes ne à quoquam ſeculari, vel cuiuſuis Ordinis regulari Presbytero, vel Prælato quauis auctoritate fungente, nec per quæcunque

Iubilea,

Iubilea,& Indulgētias,etiam pleniſſimas & extraordinarias per noſtros prædeceſſores,aut noſmetipſos, vel ſucceſſores noſtros, anno Iubilęi,aut alio quouis tempore & Cruciatę Sanctæ,vel quocunque alio titulo,modo,& forma,Motu proprio,& Cōſiſtorialiter, ſeu ad quorumcunque Principum,Regum,aut Imperatoris inſtantiam,eorumque contemplatione, & intuitu, cum quibuſuis ampliſſimis in genere, vel in ſpecie derogatorijs clauſulis conceſſa, vel in poſterū concedenda,nec vigore aut prætextu facultatum, aut priuilegiorū. Mare magnum, aut aliàs quomodolibet nnncupatorum, quibuſuis ordinibus, Congregationibus,aut perſonis regularibus,aut Epiſcopis,per decreta Concilij Tridentini, aut officio ſacræ Pœnitentiariæ Apoſtolicæ,vel minoribus,aut etiam Maiori, Pœnitentiarijs noſtris & Rom. Pont. pro tempore exiſtentis, vel aliàs quomodolibet pro tempore conceſſorum,Perſonæ, ſic vt præfertur,delinquentes,tam ſcilicet Antiſtites,ſeu Abbates promouentes,quàm Clerici malè inſigniti ſeu ordinati à reatibus & exceſſibus præfatis abſolui,præterquàm in mortis articulo poſſint,aut debeant,nec cum ijs ſuper irregularitate propter pręmiſſa contracta,etiam ſi crimen penitus occultum fuerit, quouis modo valeat diſpenſari.

Verùm enim verò quia grauioribus morbis fortiora ſunt adhibenda remedia:& iuxta perſonarum,locorum,ac temporum qualitates leges ſunt immutandæ,pœnæq; aggrauandæ & emolliendæ:cum huiuſmodi peccatum ſatana ſuggerente,hominumq; fragilitate aſſentiente, videatur iam ad culmen vitiorum aſcendiſſe, & in præcipiti eſſe:Ideo,vt homines ſaltem pœnæ timore,& proprij honoris confuſione,à peccato deterreantur, nouum huic veneno antidotum cogimur præparare: Ac propterea volumus, vt qui abſolutionem & diſpenſationem huiuſmodi petent, ſemper, quamuis delictum adhuc occultum extiterit,non per officium Sacræ Pœnitentiariæ, ſed à nobis & pro tempore exiſtente Rom.Pontifice,in vtroque foro abſolutionem petere teneantur: alioquin ipſæ conceſſiones & abſolutiones,etiam cum clauſula, quòd præſentis Conſtitutionis tenor & alia prædicta habeantur pro expreſſis,prorſus nullæ, irritæ & inualidæ exiſtant, ac nemini penitus ſuffragentur.

Cæterùm ſi quis Antiſtes vel Abbas,ſeruatis quidem cunctis præmiſſis & cæteris omnibus, quæ in ipſius tonſuræ & ordinum collatione obſeruari debent, perſonas habiles & idoneas, ſed tamen recepta ab ijs, quibus tonſuram, aut ordines conferet pecunia, pretio, vel præmio ſimoniacè in futurum inſigniuerit,vel promouerit:volumus,

lumus,vt, præter alias cenſuras & pœnas contra ſimoniacè ordinãtes & ordinatos à ſacris Canonibus & Conſtitutionibus Apoſtolicis aliàs inflictas & irrogatas, quibus nequaquam derogare intendimus; etiam omnia & ſingula ſupradicta in ſic promonentibus & promotis locum habeant: Decernentes præſentes litteras ſub quibuſuis conceſſionibus, facultatibus & gratijs,etiam in caſibus quibuſcunque Sedi Apoſtolicæ quomodolibet, etiam in Bulla Cœnæ Domini reſeruatis, etiam ſub nomine Iubilei plenarij, vel Cruciatæ ſanctæ, abſoluendi facultatem quibuſuis perſonis generaliter, vel ſpecialiter tribuentibus,minime comprehendi: ſed ſemper ab illis exceptas eſſe & cenſeri: ſicq; in præmiſſis vniuerſis & ſingulis per quoſcumque Iudices, & Commiſſarios, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, ſublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate in quauis cauſa & inſtantia iudicari & diffiniri debere, ac irritum & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam,quauis auctoritate,ſciẽter,vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac in Concilijs etiam generalibus editis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Vt autem præſentes litteræ omnibus innoteſcant, mandamus illas ad Valuas S. Ioannis Lateranen. & Principis Apoſtolorum de Vrbe Baſilicarum, & in acie Campi Floræ, affigi & publicari, & poſt quindecim dies,qui in Vrbe ſunt,qui verò extra eam & citra Montes intra quatuor menſes,qui demum vltra Montes erunt, intra octo menſes à die publicationis huiuſmodi computan. perinde afficere & arctare,acſi eorum cuique perſonaliter intimatæ fuiſſent, ac earundem præſentium litterarum exemplis, etiam impreſſis, Notarij publici manu ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eandem fidem in iudicio & extra illud adhiberi, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ.Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri ſtatuti, ordinationis, declarationum, priuationis, reſeruationum, inhibitionis, voluntatum, Decretorum & mandati infringere vel ei auſu temerario contraire.Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.Datum Romæ, apud Sãctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ,Milleſimo quingenteſimo octuageſimo octauo, Nonis Ianuarij, Pontificatus Noſtri Anno Quarto.

Nos

Nos animaduertentes in dictis litteris nihil ferè, quo ad ea, quæ in ordinum collatione ſeruanda ſunt, diſponi, vltra id, quod in ſacris Canonibus, & in Concilij Tridentini Decretis, ac aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorũ Conſtitutionibus diſpoſitum fuit, ſed diuerſas pœnas, & cenſuras Eccleſiaſticas contra Epiſcopos, & alios Prælatos in ordinum collatione peccantes & ſimiliter contra Clericos tam ſeculares, quàm cuiuſuis ordinis, inſtituti, & militiæ regulares male promotos cõſtitui, abſolutionemq́; & diſpenſationem Sedi Apoſtolicæ reſeruari, & aliàs ſicut in præfatis litteris continetur, Conſiderantesq́; tam promouentes, quàm eos, qui ad dictos ordines promouentur, ſæpe cenſuris, & pœnis huiuſmodi, ob illarum multiplicitatem in eorum perniciem animarũ, varijs modis illaqueari, nonnullos ex Prælatis, & Epiſcopis in conferendis huiuſmodi ordinibus nimis ſcrupuloſè procedere; multoſq́; metu pœnarum, & cenſurarum præfatarum ab ordinum collatione prorſus deterreri, adeò vt Clericorum, & Sacerdotum numerus propterea aliquibus in locis valde imminutus ſit, omnium in præmiſſis ſecuritati; ac animarum ſaluti, paterna charitate proſpicere volentes: Motu proprio, & ex certa ſcientia noſtris, ac de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, hac noſtra perpetuò valitura cõſtitutione, ſupradictas litteras ad terminos ſacrorum Canonum, ac Conſtitutionis re. me. Pij Papæ II. etiam Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Cum ex ſacrorum ordinum. Sub Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Quintodecimo Kal. Decembris, Anno Incarnationis Dominicæ 1461. Pontificatus ſui Anno Quarto, Cuius tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, & ad diſpoſitionem Decretorum Sacri Tridentini Concilij reſtringimus, & reducimus, necnon cenſuras, & pœnas in eiſdem Sixti litteris contra quoſcunque, præterquàm contra Simoniacè ordinantes, & ordinatos, inflictas, quas volumus in ſuo robore permanere (alijs etiam pœnis & cenſuris per eoſdem Canones, ac Conſtitutionem Pij II. Conciliumq́; Tridentinum iniunctis ſaluis & firmis remanentibus) moderamur & abolemus. Decernentes ſic, & non aliter per quoſcunq; Iudices, & Commiſſarios quauis auctoritate fungentes, etiam eiuſdẽ Romanæ Curiæ Cardinales, & cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, vbiq; iudicari, & diffiniri debere, Irritum quoq; & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam, quauis auctoritate, ſcienter, vel ignorãter contigerit attentari. Non

obſtan.

obſtan. præmiſſis, ac quibuſuis alijs Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius Prælati, vel perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ obſignatis, eadem prorſus fides in Iudicio, & extra illud habeatur, quæ eiſdem præſentibus haberetur ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ reſtrictionis, reductionis, moderationis, reuocationis, abolitionis, Decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo Quingenteſimo nonageſimo quinto, Pridie Kal. Martij. Pontificatus Noſtri Anno quinto.

L. Card. Prodat.

M. Veſtrius Barbianus.

## LITERAE PROCESSVS S. D. N. D. Clementis Papæ VIII. Lectæ die Cœnæ Domini.

In Nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

*Clemens Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.*

PAſtoralis Romani Pontificis vigilantia, & ſolicitudo, cum in omni Chriſtianæ Reipublicæ pace, & tranquillitate procuranda, pro ſui muneris officio aſſiduè verſatur, tum potiſſimùm in Catholicæ fidei, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, vnitate, atque integritate retinenda, & conſeruanda, maximè elucet, nimirum, vt fideles Chriſti non ſint paruuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento

doctrinæ

doctrinæ in nequitia hominum,ad circumuentionẽ erroris,ſed omnes occurrant in vnitatem fidei,& agnitionis filij Dei in virum perfectum, neq; ſe in huius vitæ ſocietate & communione lædant, aut inter ſe alter alteri offenſionem præbeat, ſed potius in vinculo charitatis coniuncti,tanquam vnius corporis membra ſub Chriſto capite, eiuſq; in Terris Vicario Romano Pontifice Beatiſſimi Petri ſucceſſore, à quo totius Eccleſiæ vnitas dimanat augeantur in ædificationem, atque ita diuina gratia adiutrice, ſic præſentis vitæ quiete gaudeant,vt futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas ſanè cauſas Rom.Pontifices prædeceſſores noſtri hodierna die;quæ anniuerſaria Dominicæ Cœnæ commemorationem ſolemnis eſt, ſpiritualem Eccleſiaſticæ diſciplinæ gladium, & ſalutaria iuſtitiæ arma per miniſterium ſummi Apoſtolatus ad Dei gloriam,& animarum ſalutem ſolemniter exercere conſueuerunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius eſt,quàm fidei inuiolatam integritatem,publicam pacem, & iuſtitiam Deo auctore tueri, vetuſtum, & ſolemnem hunc morem ſequentes.

*Excommunicantur, & anathematizantur.*

1 Excommunicamus,& anathematizamus,ex parte Dei Omnipot. Patris,& Filij,& Spiritu Sancti auctoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri,& Pauli,ac noſtra quoſcunq; Huſſitas, Vuiclepitas, Lutheranos,Zuinglianos,Caluiniſtas,Vgonottos,Anabatiſtas,Trinitarios,& à Chriſtiana fide Apoſtatas, ac omnes, & ſingulos alios Hæreticos quocunque nomine cenſeantur, & cuiuſcumque ſectæ exiſtant,ac eorum credentes, receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defenſores, ac eorundem libros Hæreſim continentes,vel de Religione tractantes, ſine auctoritate noſtra & ſedis Apoſtolicæ ſcienter legentes,aut retinentes,imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes ex quauis cauſa publicè, vel occulte, quouis ingenio,vel colore,necnon Schiſmaticos, & eos qui ſe à noſtra, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt,vel recedunt.

*1 Hæretici cuiuſcũq ſectæ, eorundẽ fautores, libros legẽtes, tenentes, aut imprimẽtes, & ſchiſmatici.*

2 Item excommunicamus,& anathematizamus omnes,& ſingulos cuiuſcunque ſtatus,gradus,ſeu conditionis fuerint:Vniuerſitates verò Collegia,& Capitula quocunque nomine nuncupentur, interdicimus ab ordinationibus,ſeu mandatis noſtris, ac Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium ad vniuerſale futurum Cõcilium appellantes: necnon eos,quorum auxilio, vel fauore, appellatum fuerit.

*2 Appellantes à Pontif. ad futurum Conciliũ, eorumq. fautores.*

3 Item excõmunicamus, & anathematizamus omnes Piratas Curſarios,

*3 Piratæ, atque eorũ receptatores, & fautores.*

ſarios, ac Latrunculos Maritimos, diſcurrentes Mare noſtrum, præcipue à Monte Argentario vſque ad Terracinam: ac omnes eorum fautores, receptatores, & defenſores.

*4 Qui naufragorũ librorum cuiuſcumq. generis bona ẽt in litoribus inuenta ſurripuerint.*

4 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcunque Nauibus, tempeſtate, ſeu in tranſuerſum (vt dici ſolet) iactatis, vel quoquomodo naufragium paſſis, ſiue in ipſis nauibus, ſiue ex eiſdem eiecta in mari, vel in litore inuenta, cuiuſcunq; generis bona, tã in noſtris Tyrrheni, & Adriatici, quàm in cæteris cuiuſq; maris Regionibus, & litoribus, ſurripuerint. Ita vt nec ob quodcunq; priuilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi etiam immemorabilis temporis poſſeſſionem, ſeu alium quemcunque prætextum excuſari poſſint.

*5 Imponentes noua pedagia, & gabellas, vel eas augẽtes*

5 Item excommunicamus & anathematizamus omnes, qui in Terris ſuis noua Pedagia, ſeu gabellas, præterquam in caſibus ſibi à iure, ſeu ex ſpeciali Sedis Apoſt. licentia permiſſis, imponunt, vel augent, ſeu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

*6 Falſificantes literas ap. aut ſupp. à quocunq. auct. habent ſignatas, falſo fabricãtes literas apoſt.*

6 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falſarios literarum Apoſtolicarum, etiam in forma Breuis, ac Supplicationũ, gratiam, vel iuſtitiam concernentium, per Rom. Pontificem, vel S.R.E. Vicecanc. ſeu gerentes vices eorum, aut de mandato eiuſdem Rom. Pontificis ſignatarum, necnon falsò fabricantes literas Apoſtolicas, etiam in forma Breuis, & etiam falsò ſignantes Supplicationes huiuſmodi ſub nomine Rom. Pontificis, ſeu Vicecanc. aut gerẽtium vices prædictorum.

*7 Deferẽtes arma & alia vſui bellico idonea ad turcas, vel alios Chriſtiani nominis inimicos, & ad reipubl. Chriſtianæ ſtatum pertinentia ijſdẽ in damnum Chriſtianorũ nunciantes.*

7 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Chriſtiani nominis hoſtes & inimicos, vel Hæreticos, per noſtras, ſiue huius ſanctæ Sedis ſententias expreſſe, vel nominatim declaratos, deferunt, ſeu tranſmittunt equos, arma, ferrum, filum, ferri, ſtamnum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atq; bellica inſtrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipſo canape, quàm alia quacunque materia, & ipſam materiam, aliaq; huiuſmodi, quibus Chriſtianos, & Catholicos impugnant, necnon illos, qui per ſe, vel alios de rebus ſtatum Chriſtianæ Reipub. concernentibus, in Chriſtianorum perniciem, & damnũ, ipſos Turcas, & Chriſtianæ Religionis inimicos, nec non Hæreticos, in damnum Catholicę Religionis, certiores faciunt, illiſq; ad id auxilium, conſilium, vel fauorem quomodolibet præſtant. Non obſtantibus quibuſcunque priuilegijs, quibuſuis perſonis, Principibus, Rebuſpublicis, per Nos, & Sedem prædictam hactenus conceſ-

ſis,

ſis, de huiuſmodi prohibitione expreſſam mentionē nō faciētibus.

8 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, ſeu inuadentes eos, qui victualia, ſeu alia ad vſum Romanæ Curiæ neceſſaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur prohibent, impediunt, ſeu perturbant, ſeu hæc facientes defendunt per ſe, vel alios cuiuſcumq; fuerint ordinis, præminentiæ, conditionis, & ſtatus, etiam ſi Pontificali, ſeu Regali, aut alia quauis Eccleſiaſtica, vel mūdana præfulgeāt dignitate.

*8 Impedientes eos qui victualia, & alia neceſſaria Romam conuehunt.*

9 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apoſtolicam venientes, & recedentes ab eadem; ſua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, ſpoliant, capiunt, detinent, necnon illos omnes, qui iuriſdictionem ordinariam, vel delegatā, à Nobis, vel Noſtris iudicibus non habentes, illam ſibi temerè vendicantes, ſimilia, contra morantes in eadem Curia, audēt perpetrare.

*9 Qui ad ſedem Ap. venientes, vel ab ea recedētes ſua, aut aliorum opera læſerint, & qui ſine iuriſdictione in Curia cōmorantes vexauerint.*

10 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, ſeu depredantes, Romipetas, ſeu peregrinos ad Vrbem cauſa deuotionis, ſeu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipſa recedentes, & his dantes auxilium, conſilium, vel fauorem.

*10 Qui offenderint, ac peregrinos in vrbe morantes, vel abeuntes læſerint.*

11 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hoſtiliter inſequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sediſq; Apoſtolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à ſuis Diœceſibus, Territorijs, Terris, ſeu Dominijs eijcientes: Necnon ea mandantes, vel rata habentes, ſeu præſtantes eis auxilium, conſilium, vel fauorem.

*11 Qui nocuerint, S.R.E. Cardinales, et alios Prælatos.*

12 Item excommun. & anathemar. oēs illos, qui per ſe, vel per alios, perſonas Eccleſiaſticas quaſcumq;, vel ſeculares, ad Rom. Curiam ſuper eorum cauſis, & negocijs recurrentes, ac illa in eadem Curia proſequentes, aut procurantes negotiorumq; Geſtores, Aduocatos, Procuratores, & Agentes, ſeu etiam Auditores, vel Iudices ſuper dictis cauſis, vel negotijs deputatos, occaſione cauſarum, vel negociorum huiuſmodi, occidunt, ſeu quoquomodo percutiunt, bonis ſpoliant, ſeu qui per ſe, vel per alios directè, vel indirectè, delicta huiuſmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel fauorem, præſtare non verētur, cuiuſcumq; præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

*12 Ii qui ad Roma. Cur. in negotijs ſuis recurrētes per ſe, vel per alios lædunt.*

13 Item excommun. & anathemat. oēs, tàm Eccleſiaſticos, quàm ſeculares cuiuſcumq; dignitatis, qui prætexentes friuolam quandam

*13 Qui appellant à gra*

*futura executione literarum Apo. ad laicam poteſtatem.*

appellationem à grauamine,vel futura executione litterarum Apoſtolicarum etiam in forma Breuis,tàm gratiam, quam iuſtitiam cõcernentium:Necnon citationum,inhibitionum,ſequeſtrorum,monitoriorum,proceſſuum executorialium, & aliorum Decretorum à nobis,& à Sede prædicta,ſeu Legatis, Nuncijs, Preſidentibus Palatij noſtri,& Cameræ Apoſt. Auditoribus, Commiſſarijs, alijſq; Iudicibus, & delegatus Apoſtolicis,emanatorum,& quæ pro tempore emanauerint,aut alias ad Curias ſeculares, & laicam poteſtatem recurrunt,& ab ea inſtante etiam Fiſci Procuratore, vel Aduocato,appellationes huiuſmodi admitti,ac Litteras, citationes, inhibitiones,ſequeſtra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt,quiue illa ſimpliciter, vel ſine eorum beneplacito, & conſẽſu,vel examine executioni demandari,aut ne tabelliones, & Notarij,ſuper huiuſmodi litterarum & proceſſuum exequtione, inſtrumenta,vel acta conficere, aut confecta, parti, cuius intereſt tradere debeant,impediunt,vel prohibent,ac etiam partes,ſeu eorum agẽtes, notarios, executores, & ſubexecutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliornm prædictorum, capiunt,percutiunt, vulnerant,carcerant,detinent,ex Ciuitatibus,locis, & Regnis eijciunt, bonis ſpoliant,perterrefaciunt,concutiunt, & comminantnr per ſe, vel alium, ſeu alios,publicè, vel occultè, quiue aliàs quibuſcumq; perſonis,in genere, vel in ſpecie, ne pro quibuſuis eorum negotijs proſequendis,ſeu gratijs,vel litteris impetrandis ad Rom. Curiam accedant,aut recurſum habeant,ſeu gratias ipſas, vel litteras à dicta Sede impetrent,ſeu impetratis vtantur,directè,vel indirectè prohibere,ſtatuere,ſeu mandare, vel eas apud ſe aut Notarios ſeu tabelliones,vel àliàs quomodolibet retinere præſumunt.

*14 Quicunque executionem literarum Ap aut aliarum expeditionum impediũt,& ad gratias impetran. ac eodem prohibent.*

14 Item excommunicamus,& anathematizamus omnes, & ſingulos,qui per ſe,vel alios auctoritate propria, ac de facto quorumcũque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & litterarum Apoſtolicarum prætextu, beneficiales,& decimarum,ac alias cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas ab Auditoribus, & Commiſſarijs noſtris,alijſque iudicibus Eccleſiaſticis auocant,illarumue curſum, & audientiã ac perſonas, Capitula, Conuentus,Collegia, cauſas ipſas proſequi volentes impediũt, ac ſe de illarum cognitione tamquam Iudices interponunt.Quiue partes actrices quæ illas commiti fecerunt, & faciunt ad reuocandum, & reuocari faciendum citationes, vel inhibitiones,aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum, vel conſentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt,

à cen-

à cenſuris,& pœnis in illis contentis abſolui per ſtatutum, vel aliàs compellunt, vel executionem litterarum Apoſtolicarum, ſeu executorialium proceſſuum,& Decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel ſuum ad id fauorem, conſilium, aut aſſenſum præſtant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætenſionum,ſeu etiam donec ipſi ad nos informandos,vt dicunt ſupplicauerint, aut ſupplicari fecerint,niſi ſupplicationes huiuſmodi, coram nobis, & Sede Apoſtolica legittimè proſequantur, etiam ſi talia committentes fuerint Præſidentes,Cancellariarum, Conſiliorum,Parlamentorum,Cancellarij,Vicecancellarij,Conſiliarij, Ordinarij, vel extraordinarij quorumcunque Principum ſecularium, etiam ſi Imperiali,Regali, Ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, aut Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Commendatarij, ſeu Vicarij fuerint.

15 Quiue ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcunque perſonas Eccleſiaſticas, capitula, conuentus, collegia Eccleſiarum quarumcunque coram ſe ad vſum tribunal,audientiam,Cancellariam,Conſilium, vel parlamentum, præter Iuris Canonici diſpoſitionem,trahunt,vel trahi faciũt, vel procurant directè,vel indirectè,quouis quæſito colore: necnõ qui ſtatuta, ordinationes,conſtitutiones,pragmaticas, ſeu quæuis alia decreta in genere,vel in ſpecie,ex quauis cauſa, & quouis quæſito colore, ac etiam prætextu cuiuſuis conſuetudinis, aut priuilegij, vel aliàs quomodolibet fecerint,ordinauerint, & publicauerint,vel factis,& ordinatis vſi fuerint,vnde libertas Eccleſiaſticæ tollitur, ſeu in aliquo læditur,vel deprimitur, aut aliàs quouis modo reſtringitur, ſeu noſtris & dictæ Sedis,ac quarumcunque Eccleſiarum iuribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſsè præiudicatur.

*15 Iudices ſeculares, qui Eccleſia. perſonas trahunt ad ſua tribunalia quiq. eccleſiaſt. libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant.*

16 Necnon qui Archiepiſcopos,Epiſcopos, alioſque Superiores,& inferiores Prælatos,& omnes alios quoſcumque Iudices Eccleſiaſticos ordinarios quomodolibet impediunt,quo minus ſua iuriſdictione Eccleſiaſtica contra quoſcumq; vtantur,ſecundum quòd Canones, & ſacræ Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, & decreta Conciliorum generalium;& præſertim Tridentini,ſtatuũt; ac etiam eos,qui poſt ipſorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorũcunq; ſententias,& decreta, aut aliàs fori Eccleſiaſtici iudicium eludentes,ad Cancellarias,& alias Curias ſeculares recurrunt,& ab illis prohibitiones & mandata,etiam pœnalia, Ordinarijs, aut delega-

*16 Impedientes prælatos, ne ſua iuriſdictione vtãtur, quiq; illorum. & delegatorũ iudicia eludentes ad curias ſecula. recur. aut cõtra illos decernũt*

tis

*praſtātq; auxilium.*

tis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, ſeu dant auxllium, conſilium, patrocinium, & fauorem in eiſdem.

*17 Vſurpantes ſedis Ap. & quarumcunq. Eccleſiarum iuriſdictiones, vel fructus etiā ſequeſtrātes.*

17 Quiue iuriſdictiones, ſeu fructus, redditus, & prouentus, ad Nos & Sedem Apoſtolicam, & quaſcunque Eccleſiaſticas perſonas ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum pertinentes vſurpant, vel etiam qnauis occaſione, vel cauſa, ſine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expreſſa licentia ſequeſtrant.

*18 Imponētes decimas, & alia onera perſonis Eccleſiaſt. eccleſiis, monaſterijs aut eorū fructibus.*

18 Quiue collectas, decimas, talleas, præſtantias, & alia onera clericis, prælatis, & alijs perſonis Eccleſiaſticis, ac eorum, & Eccleſiarū, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticornm bonis, illorumq; fructibus, redditibus, & prouentibus huiuſmodi abſq; ſimili Rom. Pont. ſpeciali, & expreſſa licentia, imponunt, & diuerſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita, etiam à ſponte dantibus, & concedentibus, recipiunt. Necnon qui per ſe, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel fauorem præſtare non verentur, cuiuſcunq; ſint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, ſeu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij potentatus quicunq; etiam Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, & Terris quoquomodo Præſidentes, & Conſiliarij, & Senatores, aut quauis etiam Pontificali dignitate inſigniti. Innonātes decreta ſuper his per Sacros Canones, tam in Lateranenſi nouiſſimè celebrato, quàm alijs Concilijs generalibus edita, etiam cum cenſuris & pœnis in eis contentis.

*19 Iudices ſeculares, q ſe interponūt in cauſis capitalib ſeu criminalibus cōtra Eccleſiaſtic perſonas.*

19 Item excōmunicamus, & anathematizamus omnes, & quoſcunque Magiſtratus, & Iudices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores quomodolibet ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas, illas proceſſando, banniendo, capiendo, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo, ſine ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa huius Sanctæ Sedis Apoſtolicæ licentia, etiam ſi talia committentes fuerint Conſiliarij, Senatores, Præſidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut quonis alio nomine nuncupati.

*20 Occupātes bona, aut terras Eccleſiæ Romā. &*

20 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, ſeu alios directè, vel indirectè ſnb quocunq; titulo, vel colore inuadere, deſtruere, occupare, & detinere præſnmpſerint, in totum vel in partem, Almam Vrbem, Regnum Siciliæ, Inſulas Sardi-

niæ,& Corſicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Thuſcia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venayſinum, Sabinenſem, Marchiæ Anconitatæ, Maſſæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ,& maritimas Prouincias, illarumq; Terras, & loca, ac Terras ſpecialis commiſſionis Arnulforum, Ciuitateſq; noſtras Bononiā, Cæſenam, Ariminum, Beneuentum, Peruſinum, Auinionem, Ciuitatem Caſtelli, Tudertum, Ferrariam, Clomacum, & alias Ciuitates, Terras, & loca, vel iura ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinentia, dictæq. Romanæ Eccleſiæ mediatè vel immediatè ſubiecta, nec non ſupremam iuriſdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Eccleſiæ competentem de facto vſurpare, perturbare, retinere, & vexare varijs modis præſumunt, necnon adhærentes, fautores, & defenſores eorum, ſeu illis auxilium, conſilium, vel fauorem quomodolibet præſtantes. *illius iuriſdictionē vſurpantes.*

† Volentes præſentes noſtros proceſſus, ac omnia, & quæcūque his litteris contenta; quouſq; alij huiuſmodi proceſſus, à Nobis, aut Rom. Pontifice pro tempore exiſtente fiant, aut publicentur, durare, ſuoſq; effectus omninò ſortiri. *† Abſolutio ſoli Pōtifici reſeruatur.*

* Cæterum à prædictis ſententijs nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo, cautione præſtita, abſolui poſſit, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibuſcūq; perſonis Eccleſiaſticis, ſecularibus, & quorumuis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia maiori dignitate præditis, ipſiſq; Ordinibus, & eorum Monaſterijs, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, & locis pijs, necnon laicis, etiam Imperiali, legali, & alia mūdana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cuiuſuis Concilij decreta, verbo, litteris, aut alia quacunq; ſcriptura in genere, & in ſpecie conceſſorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum, niſi in eis & caſibus præſentibus litteris expreſſi comprehendantur. ** Abſoluere præſumentes excommunicantur.*

Quòd ſi forte aliqui cōtra tenorem præſentium talibus excommunicatione & anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus, grauiùs cōtra eos, ſpiritualiter & temporaliter, prout expedire nouerimus, proceſſuri.

* Declarantes & proteſtantes quamcunq; abſolutionem, etiam ſo- ** Papa abſolutio non cō-*

ſenti-

*prehēdit eos q à præmiſſ. non deſtiterint.*

lemniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos ſub præſentibus comprehenſos, niſi priùs à præmiſſis, cum vero propoſito vlteriùs ſimilia non committendi, deſtiterint, Ac quo ad eos, qui cõtra Eccleſiaſticam libertatem, vt præmittitur, ſtatuta fecerint, niſi prius ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, & decreta huiuſmodi publicè reuocauerint, & ex Archiuis, ſeu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & caſſari, ac nos de reuocatione huiuſmodi certiores fecerint eos non comprehendere, nec eis aliter ſuffragari, quin etiam per huiuſmodi abſolutionem, aut quoſcunq; alios actus contrarios tacitos, vel expreſſos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam noſtram, vel ſucceſſorum noſtrorum quantocunq; tempore continuatam in præmiſſis omnibus, & ſingulis, ac quibuſcunq; iuribus Sedis Apoſtolicæ, ac S.R.E. vndecunq; & quandocunq; quæſitis, vel quærendis, nullatenus præiudicari poſſe, ac debere.

Non obſtantibus priuilegijs, indulgentijs, & litteris Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus ſupradictis, vel eorum alicui, ſeu aliquibus alijs cuiuſcunq; ordinis, ſtatus, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamſi, vt præmittitur Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu quauis Eccleſiaſtica, & mundana præfulgeant dignitate: Vel eorum Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, ſeu locis à prædicta Sede, ex quauis cauſa; etiam per viam contractus, aut remunerationis, & ſub quauis alia forma, & tenore, ac cum quibuſuis clauſulis, etiam derogatorijs derogatorijs conceſſis, etiam continentibus, quod excõmunicari, anathematizari, vel interdici non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbũ, de indulto huiuſmodi, ac de ordinibus, locis nominibus proprijs, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem, necnon conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præſcriptionibus quantumcunque longiſſimis, & alijs quibuſlibet obſeruantijs, ſcriptis, vel non ſcriptis, per quæ contra hos noſtros proceſſus, ac ſententias quominus includantur in eis ſe iuuare valeant, vel tueri.

Quæ omnia quo ad hoc eorum omnium tenores, ac ſi ad verbum, nihil penitus omiſſo infererentur præſentibus pro expreſſis habentes penitus tollimus, & omnino reuocamus, cæteriſq; cõtrarijs quibuſcunq;.

Vt verò præſentes noſtri proceſſus ad publicam omnium notitiam faciliùs deducantur chartas, ſeu membranas Proceſſus ipſos continentes valuis Eccleſiæ Sancti Ioannis Lateranen. & Baſilicæ Principis Apo-

Apoſtolorum de Vrbe appendi faciemus.

Vt ij, quos proceſſus huiuſmodi concernunt, quòd ad ipſos non peruenerint, aut quòd ipſos ignorauerint, nullam poſſint excuſationem prætendere, aut ignorantiam allegare; cum non ſit veriſimile, id remanere incognitum, quod tam patenter, omnibus publicatur. Inſuper, vt proceſſus ipſi, & præſentes literæ, ac omnia, & ſingula in eis contenta eò fiant notiora, quò in pleriſq; Ciuitatibus, & locis fuerint publicata, vniuerſis, & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinarijs, & Prælatis vbilibet conſtitutis per hæc ſcripta committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus; vt per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, poſtquam eas receperint, ſeu earum habuerint notitiam ſemel in anno, aut ſi expedire viderint, etiam pluries in Eccleſijs ſuis, dum in eis maior populi multitudo ad diuina conuenerit, ſolemniter publicent, & ad Chriſtifidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

*Quicunq. audiunt confeſſiones apud ſe has literas habeant.*

Cæterum Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, alijq; locorum Ordinarij, & Eccleſiarum Prælati, necnon Rectores, cæteriq; curam animarum exercentes, ac presbyteri, ſeculares, & quorumuis ordinum regulares ad audiendas peccatorum confeſſiones, quauis auctoritate deputati, tranſumptũ præſentiũ literarũ penes ſe habeant, eaſq; diligenter legere, & percipere ſtudeant. Volentes earundem præſentiũ tranſumptis, etiam impreſſis Notarij publici manu ſubſcriptis, & ſigillo Iudicis ordinarij Romanæ Curiæ, vel alterius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem prorſus fidem in iudicio, & extra illud vbiq; locorum adhibẽdam fore; quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innouationis, innodationis, declarationis, proteſtationis, ſublationis, reuocationis, commiſſionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo Sexcenteſimoprimo decimotertio kal. Maij. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

B. Dat.

M. Veſtrius Barbianus.

# SOMMARIO DELLA BOLLA IN CENA Domini della Santità di N.S. Clemente VIII.

*Da parte dell'Onnipotente Iddio Padre, Figliuolo, e Spirito Santo, & anco con l'auttorità delli Beati Apoſtoli Pietro, & Paolo, & di N.S. Papa Clemente VIII.*

1 *SI ſcommunicano tutti gli Heretici di qualſi voglia nome, e ſetta ſi ſiano; e quelli che gli credono, cō tutti i loro recettatori, fautori, & defenſori: & anco tutti quelli, che ſenza licenza della Sede Apoſtolica ſcientemente legono, ò tengono in poter loro, ò imprimono i loro libri, che contengono hereſia, ouero trattano di religione, ouero in qual ſi voglia maniera, per qual ſi voglia cauſa, preteſto, o colore publicamente, ouero occultamente gli defendono; & gli ſciſmatici, e quelli che oſtinatamente ſi leuano, & partono dell'obedienza del Romano Pontefice.*

2 *Si ſcommunicano tutte le perſone di qual ſi voglia ſtato, grado, & conditione ſi ſiano, & s'interdicono l'Vniuerſità, Collegi, & Capitoli di qual ſi voglia nome ſi chiamino, che s'appellano dalle ſentenze, ordinationi, e mandati del Papa al futuro Concilio, & quelli che li daranno aiuto, & fauore.*

3 *Si ſcommunicano tutti i Corſali, & Ladri di Mare, i quali vanno diſcorrendo per lo mare di Chriſtiani, & particolarmente del monte Argentario inſino à Terracina, e*

*tutti i loro fautori, recettatori, & defenſori,*

4 *Si ſcommunicano tutti quelli, che rapiſcono i beni de naufraganti Chriſtiani, ò nelle naui, ò buttati in mare, ò ritrouati nel lito, ne ſi poſſino ſcuſare per qual ſi voglia priuilegio, ò conſuetudine, ò immemorabile poſſeſſo, ò qual ſi voglia altro preteſto.*

5 *Si ſcommunicano tutti quelli che nelle loro terre fuori delli caſi à loro permeſſi dalla ragione, o per ſpeciale licenza della Sede Apoſtolica impongono noui pedagij, ò gabelle, ò accreſcano le già impoſte, ouero reſcotano quelle che ſono prohibite d'imponerſi, o aumentarſi.*

6 *Si ſcommunicano tutti i falſarij delle lettere Apoſtoliche, ancorche foſſero in forma di Breui, ò ſupplicationi concernenti gratia, ò giuſtitia ſegnate per ſua Santità, ò per lo Vicecancelliere della Santa Romana Chieſa, ò loro Viceregenti, ò di mandato di ſua Santità, e tutti quelli che ſotto nome del medeſimo Romano Pontefice, ò del Vicecancelliere, ò de i loro Viceregenti faranno falſamente, ò ſegnaranno ſimili ſupplicationi.*

7 *Si ſcommunicano tutti quelli, che à Saraceni, Turchi, & altri nemici del nome Chriſtiano, ouero Heretici per ſentenza del Papa, ò Sede Apoſtolica eſpreſſamente, & nominatamente dechiarati portano, o mandano Caualli, armi, ferro, filo di ferro, ſtagno, rame, acciaio, & ogn'altra ſorte di metallo, ò inſtromenti da guerra, legname, canape, fune di canape, ò di qual ſi voglia materia, ò l'iſteſſa materia, & altre coſe, con le quali offendono i Chriſtiani, e*

Catholici; & ancora tutti quelli, che per ſe ſteſſi, ò per altri riuelano le coſe appartenenti allo ſtato della Republica Chriſtiana alli medeſimi Infedeli, ò Heretici in detrimento, & danno della Catholica Religione, & quelli che in ciò in qual ſi voglia modo li danno aiuto, conſeglio, o fauore, non oſtante qual ſi voglia priuilegio conceſſo à qual ſi voglia perſona, Prencipe, ò Republica, ſe di tal prohibitione non ſi fà eſpreſſa mentione.

8 Si ſcommunicano tutti quelli, ch'impediſcono, ò aſſaltano le perſone, che conducono, ò portano vettouaglie, ò altre coſe neceſſarie ad vſo della Corte Romana, ouer prohibiſcono, impediſcono, ò perturbano, ch'eſſe vettouaglie non ſiano portate ad eſſa Romana Corte, ouero per ſe, ò per altri defendono quelli, che fanno ſimili coſe, ſiano di qual ſi voglia conditione, ò ſtato, ancorche foſſero Rè, o Principe Eccleſiaſtico, ò temporale.

9 Si ſcommunicano tutti quelli, che per ſe ſteſſi, ò per altri ammazzano, feriſcono, ſpogliano, pigliano, ritengono quelli, che vanno alla Sede Apoſtolica, o ſe partino da quella, e tutti quelli, che non hauendo giuriſdittione ordinaria, ò delegata dal Papa, ò da ſuoi Giudici temerariamente vſurpandoſela ardiſcono di far ſimili coſe contra le perſone, che dimorano nella medeſima Romana Corte.

10 Si ſcommunicano tutti quelli, che amazzano, mutilano, feriſcono, ritengono, ouero robbano i Pellegrini, ò quelli che vanno a Roma per diuotione, ò per peregrinaggio, & in eſſa dimorano, ò da eſſa ſi partono, & quelli che in ciò

danno

*danno aiuto, conſiglio, o fauore.*

*11 Si ſcommunicano tutti quelli, che ammazzano, mutilano, feriſcono, percuotono, pigliano, carcerano, ritengono, o come nemici publici perſeguitano i Cardinali della Santa Romana Chieſa, i Patriarchi, Arciueſcoui, Veſcoui, Legati, o Noncij della Sede Apoſtolica, e quelli, che diſcacciano i ſopradetti dalle ſue Dioceſi, Territorij, Terre, o Dominij, & anco quelli che commandaranno, o approuaranno le ſopradette coſe, ouero daranno à quelli aiuto, conſiglio, o fauore.*

*12 Si ſcommunicano tutti quelli, che per ſe, o per mezo d'altri amazzano, o in qual ſi voglia modo offendano, o priuano di beni, & robba le perſone Eccleſiaſtiche, o Secolari, che per lor cauſe, e negotij riccorrono alla Corte Romana, e quelle nella ſteſſa Corte proſeguiſcono, ouero i loro Procuratori, Auuocati, Agenti, ouero gli Auditori, o Giudici deputati per occaſione delle ſopradette cauſe, o negotij, e quelli, che per ſe, o per altri direttamente, o indirettamente ardiſcono di commettere, eſſequire, o procurare ſimili delitti, onero in quelli daranno aiuto, conſiglio, o fauore, ſiano di qnal ſi voglia preeminenza, e dignità.*

*13 Si ſcommunicano tutte le perſone così Eccleſiaſtiche, come Secolari di qual ſi voglia dignità, i quali ſotto preteſto d'alcune friuole appellationi da gli aggrauij della futura eſſecutione delle lettere Apoſtoliche ricorrono alla Corte, & brazzo Secolare, e col ſuo mezo diretta, o indirettamente impediſcono, o procurano, che ſiano impedite l'eſſecutioni*

*ni delle lettere Apoſtoliche ancò in forma di Breue, così di gratia, come di giuſtitia, ò citatione, inhibitione, ſequeſtri, monitorij, proceſſi eſſecutoriali, & altri Decreti vſciti, e che pro tempore vſciranno dalla Sede Apoſtolica, ò da altri Giudici, ò delegati di eſſa Sede, e per mezo di eſſe Corti, & Poteſtà laicale, ò Procuratore, ò Auuocato Fiſcale, fanno pigliare, e ritennere le ſopradette coſe, e quelli che ſenza loro beneplacito e conſenſo, o cognitione, prohibiſcono l'eſſecutione, ò impediſcono i Notari, che delle predette lettere, & altre coſe non poſſino rogare inſtromenti, ò far altri atti publici, ouer fatti non gli poſſino dare alle parti, che ci pretendono intereſſe; ouer pigliano, percuotono, feriſcono, carcerano, ritengono, diſcacciano dalle loro Città, luochi, ò Regni, priuano di robbe, atteriſcono, minacciano per ſe, ò per mezo d'altri publicamẽte, ò occultamẽte le parti, ò i loro Agẽti, Notari, Eſſecutori, Subeſſecutori delle lettere, citationi, monitorij, & altre coſe ſopradette, ouero diretta, o indiretamente prohibiſcono, ordinano, ò commandano à qual ſi voglia ſorte di perſone in genere, ò in ſpecie, che nou ricorrino alla Corte Romana per qual ſi voglia loro negotio, ouero per impetrar gratie, ò lettere, ò fanno che non impetrino dalla detta Sede le ſudette gratie, ò lettere, ò ardiſcono di ritenerle preſſo di loro, ò de loro Notari.*

14 *Si ſcommunicano tutti coloro, i quali per ſe, ò per mezo di altri di propria auttorità, & di fatto, ſotto preteſto di qual ſi voglia eſſentioni, gratie, e lettere Apoſtoliche tirano à ſe le cauſe Beneficiali, di Decime, e altre cauſe ſpirituali, è*

*anneſſe*

*anneſſe alle ſpirituali dall' Auditori, e Commiſſarij del Papa, ò d' altri Giudici Eccleſiaſtici, ouero impediſcono le perſone, i Capitoli, Conuenti, & Collegi, che vogliono proſeguir le dette cauſe, ò s' intromettono à conoſcere di quelle come Giudici, e quelli che coſtringono le parti attrici, le quali hanno fatto, ò fanno commettere le dette cauſe à reuocare le citationi, inhibitioni, ò altre letterc in eſſe cauſe decretate, ouero coſtringono le ſudette parti attrici à fare, ò conſentire, che quei tali, contro i quali ſeranno vſcite dette lettere, ſiano aſſoluti dalle cenſure, & pene, che in quelle ſi contengono, ouero in qual ſi voglia modo impediſcono l' eſecutione delle lettere Apoſtoliche, ò proceſſi eſecutoriali, ò decreto ſopradetto, ouero gli danno fauore, conſiglio, ò conſenſo, ancorche lo faceſſero ſotto preteſto di prohibire le violenze, ò d altre pretenſioni.*

*15 Si ſcommunicano tutti quelli, che ſotto preteſto di officio, ò ad inſtanza delle parti, ò di qual ſi voglia altro ſi auocano, o tirano, ò fanno tirare, o direttamente, o indirettamẽte procurano di far tirare le perſone Eccleſiaſtiche, Capitoli, Conuenti, Collegi, & Chieſe à loro Tribunali, Cancellarie, Conſeglio, Parlamento fuori della diſpoſitione de Sacri Canoni, & anco quelli, che fanno, ò publicano Statuti, Ordinationi, Conſtitutioni, Pragmatiche, o quale ſi voglia altri Decreti, ouero ſi ſeruono delli già fatti, è publicati con le quali ſi toglia, ò in qual ſi voglia modo s' offenda, ò deprima, o reſtringa la libertà Eccleſiaſticha, ò con le quali diretamente, o indiretamente, o tacitamente, o eſpreſ-*

*ſamente*

*ſamente ſi pregiudica alle ragioni della Sede Apoſtolica, e di quale ſi voglia Chieſa.*

16 *Si ſcommunicano quelli, che in qual ſi voglia modo impediſcono i Prelati, & Giudici Eccleſiaſtici, che non poſſino ſeruirſi della loro giuriſdittione contra qual ſi voglia, ſecondo che ſtatuiſcono i ſacri Canoni, Conſtitutioni Eccleſiaſtiche, & Decreti de Concilij generali, & particolarmente di quel di Trento; & quelli che dopò le ſentenze di ſopradetti Giudici, Prelati, o loro Delegati ricorrono alli Tribunali Secolari, & da quelli procurano ottenere commandamenti, prohibitioni, & precetti penali alli Ordinarij, e Giudici delegati, e tutti quelli che tai coſe fanno, eſſeguiſcono, ouero in eſſe danno aiuto, conſiglio, ò fauore.*

17 *Si ſcommunicano tutti quelli, che vſurpano le giuriſdittioni, o frutti, redditi, e prouenti ſpettanti alla Sede Apoſtolica, ò à perſone Eccleſiaſtiche per ragion de beneficij Eccleſiaſtici, Chieſe, o monaſterij, ouer quelli che per qual ſi voglia occaſione, o cauſa ſequeſtrano li predetti frutti, ò prouenti ſenza eſpreſſa licenza del Romano Pontefice, o di quelli, che in ciò hanno legitima poteſtà.*

18 *Si ſcommunicano tutti quelli che ſenza particolare, & eſpreſſa licenza del Pontefice Romano impongano collette, decime, taglie, preſtanze, & altri carichi a Chierici, Prelati, & altre perſone Eccleſiaſtiche, e alli loro beni patrimoniali, o di Chieſe, Monaſterij, & altri beneficij Eccleſiaſtici, & alli loro frutti, redditi, e prouenti, e con diuerſi, & eſquiſiti modi, e maniere li riſcuoteno, ouero di tal maniera*

impoſti

*impoſti li riceuano anco da quelli, che ſpontaneamente glie li danno, & concedano, & anco quelli che per ſe, ò per mezo d'altri diretta, ò indirettamente ardiſcono, o non ſi vergognano di fare eſſequire, o procurare le predette coſe, o in quelle iſteſſe dare aiutto, conſeglio, o fauore ſiano di qual ſi voglia preeminenza, dignità, ordine, conditione, o ſtato anco Imperiale, o Reale; Rinouando in ciò i Decreti, cenſure, e pene in eſſe contenute per li Sacri Canoni celebrati tanto nel Concilio Lateranenſe, quanto nell'altri Concilij generali.*

19 *Si ſcommunicano tutti i Giudici, Magiſtrati, Notari, Scrittori, eſſequtori, o altre ſimili perſone che in qual ſi voglia maniera s'interpongono nelle cauſe capitali o criminali contro le perſone Eccleſiaſtiche proceſſandole, bandendole, pigliandole, o ſententiandole, o eſſequendo contra eſſe ſenza ſpeciale, & eſpreſſa licenza della Sede Apoſtolica.*

20 *Si ſcommunicano tutti quelli, che o per ſe, o per mezo d'altri diretta, o indirettamente ſotto qual ſi voglia titolo preſumono in tutto, ouero in parte, aſſaltare, diſtruggere, occupare, o ritenere qual ſi voglia luogo, o ragione pertinente alla Sede Apoſtolica, & Romana Chieſa immediata, o mediatamente ſoggetta, ouer preſumono vſurpare, perturbare, e in qual ſi voglia modo trauagliare la ſuprema giuriſdittione in quelli luoghi, i quali alla Romana Chieſa appartengono; & quelli che in ciò adheriſcono, fauoriſcono, o defendono, o danno a quelli conſiglio, aiuto, o fauore in*

qual ſi voglia modo.

Vuole il Sommo Pontefice, che queſte ſcommuniche, e proceſſo con tutto ciò, che in eſſo è contenuto habbi à durare per fin tanto, che da lui, o da altro Romano Pontefice ſarà fatto, o publicato altro Decreto ſimile.

Dalle ſopradette ſcommuniche, e ſentenze che niuno può eſſer aſſoluto da altri, che dal Pontefice Romano, eccetto, che in articolo di morte, ne meno all'hora ſe non darà ſicurtà di ſodisfar, & obedire à commandamenti della Chieſa, anco ſotto preteſto di qual ſi voglia facoltà, licenza, o indulto conceſſo, o da concederſi à qual ſi voglia perſona ancorche foſſe Rè, o Imperatore, o perſona Eccleſiaſtica così Veſcoui, & altri di maggior dignità, come qual ſi voglia Religione o Regolare, o militare, & anco qual ſi voglia Conuento, Capitolo, Collegio, Confraternità, Congregatione, Hoſpitale, & altri luoghi pij, eccetto ſe i preſenti caſi eſpreſſamente fuſſero in detti loro priuilegi compreſi.

E ſe per auentura alcuno temerariamente preſumerà d'aſſoluere alcuna perſona incorſa in tali ſcommuniche, ſappia, ch'è ſcommunicato dal Papa, oltre che ſi procederà contra di lui, con altre pene, così temporali, come ſpirituali.

Dechiara ancora, e proteſta il Sommo Pontefice, che per qual ſi voglia aſſolutione, ch'eſſo farà (ancorche foſſe ſolenne) le perſone ſcommunicate, & compreſe in queſta Bolla, non vuole, che s'intendino mai aſſolute ſe con vero propoſito non laſciaranno di commettere più ſimili coſe, e in quanto a quelli che hauranno fatti ſtatuti, & leggi contra la li-

*bertà Eccleſiaſtica, non s'intendino mai aſſolute, ſe prima publicamente non le hauranno reuocate, e caſſate da i loro Archiui, & libri, e n'hauranno data notitia à ſua Santità di quella tale publica riuocatione, & caßatione; Alla quale dichiaratione non vuole, che ſi poſſi, ne s'intenda pregiudicare per qual ſi voglia atto contrario, o tolerantia per qual ſi voglia tempo continuata, così per detto Sommo Pontefice, come per gli ſuoi ſucceſſori.*

*Ne vuole che oſti alle coſe ſopradette qual ſi voglia priuilegio Indulgenze, o lettere Apoſtoliche in qual ſi voglia modo, & à qual ſi voglia perſona, o luoco conceſſa.*

*Ammoniſce finalmente ſua Santità tutti i Prelati di ſanta Chieſa, che hanno cura d'anime, & confeſſori, così Regolari, come Secolari, che debbano hauer preßo di loro la preſente Bolla, & quella diligentemente leggere, e ſtudiare, & publicarla almeno vna volta l'anno &c.*

Cenſurę omnes, Canones item Pœnitentiales, ac nõnulla alia in Synodo locis ſuis promiſſa conſultò omittuntur, cùm alijs de cauſis, tùm quia opus nimium creſcere videbatur, quæ aliàs Deo dante typis excudi curabimus.

# CASVS RESERVATI.

## *CLAVDIVS RANGONVS DEI, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Placen. & Comes.*

VT olim cauſas maiores Moyſi, & Aaroni reſeruatas fuiſſe ſacrarũ literarum monumentis proditum eſt; ita ſapientiſſimi Patres noſtri, diuinæ authoritati innitentes ad conformandos hominum mores, & in officio continendos, peccata, & ſcelera quædam atrociora iudicio ſuo reſeruarunt. Quorum veſtigijs inhærendo, Nos, ne quis Confeſſarius in Vrbe, vel in Diœceſi noſtra, parum ſuæ, & aliorum vtilitati conſulens, falcem in meſſem alienam immittat, & à quibus minimè poteſt, nec debet, vllum imprudenter abſoluat, caſus Iure Canonum, & Apoſtolica authoritate, nedum ipſa conſuetudine, ſpecialiue conſtitutione, nobis reſeruatos inferius deſcribi, & in ſumma quædam capita conferri ſtuduimus,

*4 Præmiſſa ſi fieri poteſt ſatisfact. vel ſi ignoretur, cui fieri debeat, Pio loco reſtit. arb. cõfeſſarij modo non excedat duos an. Quoad ſigil. mẽſ. & ſtat. & termin. mutat. idem ſeruetur prius tamen in bonum ſtatũ redactis.*

*5 Dũmodo non in contẽptũ, nec feria 6. vel Sab. carnes comederint.*

*6 Præuia cõdigna ſatisfactione arbitrio confeſſarij.*

*Quoad abortum procurantes, modo*

1 QVi maiori excommunicationis vinculo irretiti, aut interdicti, ſuſpenſiue ſunt, idq; ſiue à Iure, ſiue ab homine, & cum eiſdẽ participantes, in contemptum clauium.

Caſus item quibus prædictæ Cenſuræ ſunt annexæ.

2 Blaſphemus hæreticalis etiam ſemel: Alij verò blaſphemi conſuetudinarij.

3 Sortilegi, venefici, diuinatores, Dæmones inuocantes, Euchariſtia, ſacriſue rebus abutentes, aliaue huiuſmodi committentes, quibus ars Dæmonum, aut eorum inuocatio adhibetur.

Nec non illis ſcienter conſilium, auxilium, vel fauorem præſtantes.

Item, qui tales nouerint, & Epiſcopo vti Inquiſit. Ordinario, vel R. Inquiſitori, non reuelauerint.

4 † Qui Inſtrumenta, libros, authenticas ſcripturas, ſigilla, monetam, menſuras, & ſtateras falſificauerint, vel ſic falſificatis ſcienter vſi fuerint.

Item, qui falſum in Iudicio depoſuerint in damnum tertij.

Procuratores item ſcienter iniuſtam cauſam defendentes.

Qui agrorum terminos mutauerint, aut cælauerint.

Depopulatores item agrorum, aut incendiarij ante denunciationē.

5 Qui in diebus ieiunij de præcepto, die Veneris, vel Sabbathi carnes extra caſum neceſſitatis, & in Quadrageſima carnes aut lacticinia ſine licentia Vicarij, vel illorum, qui poteſtatem habent concedendi, comederint.

6 Homicidæ voluntarij, aut dantes potiones, vt quis moriatur, vel morbo rabeſcat, vel mente alienetur, aut inſaniat.

Item coniuges effectualiter in mortem alterius coniugis machinantes, etiam ſi mors ſequuta non fuerit.

Nec non procurantes ſibi, vel alteri ſterilitatem, vel abortum, ſiue animatus, ſiue inanimatus ſit fœtus. Et qui in his caſibus participes fuerint, aut conſilium, auxilium, vel fauorem dederint.

Opprimentes quoque infantes ex culpa in lecto, vel extra. Nec non & ipſos in lecto, non adhibita cautione Cuncti in Synodo expreſſa, intra annum retinentes.

Parentum percuſſores.

Quiue infantes locis pijs exponunt, cùm eos alere poſſint, & ipſis locis non ſatisfaciunt.

7 Occupantes, vel vſurpantes decimas, & bona quæcunque Eccleſiaſtica.

Item, qui legatis pijs non ſatisfecerint, Et notarij, qui illis, ad quos ſpectant, intra tres menſes non denunciauerint.

8 Vſuras exercentes, Notarij quoque, qui huiuſmodi contractus etiā palliatos ſcienter receperint, rogaueríntq;.

9 Qui Sodomiam quomodocunque, ſiue beſtialitatem commiſerint.

Qui cum infidelibus coierint.

Nec non, qui inceſtum commiſerint in primo, vel ſecundo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis, vel in caſu ſpiritualitatis.

Concubinarij quoque publici, & lenocinium exercentes.

10 Qui Virgines deflorauerint ſub promiſſione contrahendi cum illis matrimonium, & contrahere nolunt, vel protrahunt abſque legitima cauſa, vel de facto cum alia matrimonium contraxerint.

Qui mulierem rapuerint, raptoribuſue conſilium, vel auxilium dederint.

11 Qui cum Monialibus, ſeu Secularibus, quæ in Monialium clauſtris educantur, per ſe ipſos, ſiue per litteras, ſiue per internuncios ob ſegnitates, aliaue grauia crimina commiſerint, vel committere, procurauerint.

12 Qui cenſus, liuellos, legata, annuas præſtationes, alimenta, Do-

tes

*abortus non fuerit ſequutus.*

*Quoad retinētos infan. in lecto, non ſequuta ſuffocat.*

*Quoad parētum percuſſores, venia prius à parētib. obtenta, & corā ſcientibus petita arbit. cōfeſſ. ac graui impoſita pæn.*

*7 Plena reſtit. vel ſatiſf ſequuta*

*Quoad Not. facta denunciatione.*

*8 Facta debita reſtitut ſi fieri pōt, ſin minus iurat. cautione reſtituendi cū primum potuerint, ſi verò ignoretur cui fieri debeat, vel poſſit loco pio reſtit. arbitr. Epiſcopi.*

*9 Iniuncta graui & ſalutari pænitentia, & occaſione penitus remota.*

*10 Canonica ſatisfactione præmiſſa.*

tes & id genus alia Monaſterijs monialium, vel ſingulis monialibus debita non perſoluerint, vel in eis perſoluendis fraudem commiſerint.

## *Admonitiones ad Pænitentiarios.*

IN delictis, cenſuriſue, aut impedimentis, in quibus diſponit Concil. Tridentinum cap. Liceat. ſeſſ. 24. abſoluere, vel diſpenſare nemo audeat, præter Vicarium Generalem, quem ſpecialiter ad hoc deputamus.

Pænitentiarius Cathedralis facultatem habeat abſoluendi ab omnibus caſibus, & cenſuris nobis quocunque iure reſeruatis, præterquā à caſibus prædicti cap. Liceat, ac à duodecimo caſu, quem nobis tantummodo reſeruamus. Vota verò non valeat commutare, vel in illis diſpenſare.

Alij Pænitentiarij in omnibus ſupraſcriptis caſibus abſoluere valeant, præter quàm in primo, vndecimo, & duodecimo caſu, quorum abſolutionem nobis, ſeu Pænitentiario Cathedralis (duodecimo excepto) ſpecialiter reſeruamus.

Nullus Pænitentiariorum, etiam Cathedralis, valeat alijs facultatem ſibi conceſſam ſubdelegare, ſed nudum tantùm miniſterium abſoluendi concedere poſſit in aliquo caſu ſingulari, & ſingulis, dummodò caſus prius euenerit.

Supradictæ facultates abſoluendi à nobis conceſſæ intelligantur in foro tantum conſcientiæ, & pœnitentiali, non autem in foro fori, ſiue contentioſo; neque etiam in foro conſcientiæ, quo ad illos, qui nominatim, & publicè fuerint declarati excommunicati, ſuſpenſi, vel interdicti, vel manus violentas in clericos iniecerint.

Cum facultas abſoluendi ab aliquibus ex prædictis caſibus conceditur alicui, cum annotatis limitationibus conceſſa intelligatur.

## *Admonitiones ad Confeſſarios.*

A Caſibus nobis reſeruatis nullus Confeſſarius Secularis, ſiue Regul. cuiuſcunque ordinis vigore, ſeu prætextu quorumuis priuilegiorum, indultorum, facultatum quibuſcunque etiam Mendicā tium Congregationib. etiam Societatis IESV, Collegijs, vel Societa-

cietatibus, aut Archiconfraternitatibus Secularium, aut ſingularibus perſonis quomodocunque conceſſarum abſoluere andeat, niſi in articulo mortis, Abſque Noſtra in Scriptis Licentia, Nec etiam in caſu neceſſitatis, vel impedimenti, Cum id non licere à Sac. Illuſtr. Card. Cong. negot. Epiſc. ac Reg. præpoſita nupetrimè de mand. S. D. N. Clem. VIII. declaratum, atque omnib. inhibitum fuerit, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & alijs cenſuris, & pœnis, de quib. in ipſo decreto. Dat. Romæ 9. Ian. 1601.

In articulo mortis nulla eſt reſeruatio, & quilibet Sacerdos quoſcunq; pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poteſt; vt per Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 17. Confeſſarij tamen abſoluentes ab excommunicationibus in articulo mortis, & poteſtatem non habentes abſoluendi extra illum caſum, imponant huiuſmodi pœnitenti, vt ſi cõualuerit, præſenter ſe ſaltem per procuratorem Superiori, ad quem abſolutio ſpectat, ad ſuſcipiendam pœnitentiam, & obediendum eius mandato; alioquin, in eandem excommunicationem ipſo iure reincidet. Et ſi alicui ſatisfacere debet, non abſoluatur, niſi prius ſatisfecerit, ſi poteſt aliàs præſtita cautione ſaltem iuratoria, ſi aliam præſtare non valet.

Cùm reſtitutio facienda fuerit de bonis incertis, caueat Confeſſarius, ne ſibi, ſuæue Eccleſiæ ea applicet, ne efficiatur pœnitenti ſuſpectus auaritiæ nomine. Neque quicquam de huiuſmodi bonis vllus valeat applicare, niſi vſque ad æſtimationem duorum aureorum.

Si cui concederetur facultas abſoluendi ab omnibus caſibus reſeruatis, nunquàm intelligatur extendi, niſi ad eos caſus, in quibus minores pœnitentiarij poſſunt abſoluere.

Vnuſquiſque Confeſſarius, vbi Confeſſiones audit, hanc paginam Caſuum reſeruatorum, vnà cũ Bulla Cœnæ Domini habeat, quam, qui animarum curam exercent, ſemel ſaltem in anno ſcilicet Dominica Paſſionis ſuis Populis publicent, declarentq; ad ipſius Bulla præſcriptum.

PRo recta huius Sacramenti adminiſtratione ſtudeat vnuſquiſque Confeſſarius Patrum Decreta diligenter ſeruare: præcipuè Reuerẽdiſs. D. fel. recor. Caſtelli viſitatoris Apoſtolici monitiones videl.

Quò ad locum, vt ſit in Eccleſia, in loco conſpicuo, & Mulieres omnino in confeſſionali.

Quò ad perſonam, vt Pœnitens, { Suæ ſit iuriſdictionis. / Et ſi mulier, ſit etiam capite velato.

Quò

Quò ad modum,
- Vt Confeſſarius, qui Parochus, aut Viceparochus eſt, decenti ſuperpellicco, & ſtola, & bireto ſit indutus, non autem pilco, ne in priuatis quidem domibus, cũ audit confeſſiones infirmorum.
- Prudenter ita interroget, ne in peccatis, eorumq́; circunſtantijs examinandis, ſcandalum præbeat, ſimplicesue doceat vitia, quæ ignorant.
- Scienter ita ſe gerat, vt ſi difficilis aliquis occurrat caſus, de quo tunc neſciat deliberare, capiat tempus, vt vel ipſe legendo, vel alios cõſulendo peritiores, vim eius, ac poteſtatem ſcire poſſit.
- Aduertat in hoc tamen, vt ipſum caſum ita proponat, ne detegat aliquo modo Pœnitentem.

Quò ad rem, vt non abſoluat, in Blaſphemia præſertim ex conſuetudine, in Concubinatu, in Vſura, in Simonia, Detractione, Contrectatione, Vſurpationeue alienarum rerum, & præcipuè Decimarum, bonorumue Eccleſiaſticorum, niſi priùs radicitus euulſa fuerit peccandi occaſio, factaue reſciſſio illicitorum contractuum, reſtitutioq́; tam famæ, quàm rei ſublatæ, & ſatisfactio præſertim, iuxta diſpoſitionem Sacri Concilij Trid.

Quò ad effectum,
- Studeat ita exprobrare delictum, vt peccator eius turpitudinem, & grauitatem agnoſcat; hoc autem faciat paulò ante abſolutionem.
- Curet dare pœnitentiam, vel ſatisfactionem exequendã, quæ (quoad fieri poſſit) peccatis reſpondeat; ne talis tamen ſit, vnde exteri in peccatorum cognitionem deuenire poſſint.
- Pœnitentia verò, ſiue ſatisfactio ſemper ante abſolutionem iniungatur.

Quò ad formam Abſolutionis, eam ſequatur, quam in hoc loco ſcriptam proponimus.

## FORMVLA ABSOLVTIONIS.

Miſereatur tui, &c. Indulgentiam &c. Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat, & ego authoritate ipſius abſoluo te à vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ſi quam, vel ſi quod incurriſti, in quantum poſſum, & indiges. *Deinde.* Abſoluo te à peccatis tuis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

Paſſio D. N. I. C. & merita B. Mariæ ſemper Virg. & omnium ſanctorum, & quidquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſint tibi in remiſſionem

ſionem peccatorum tuorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen. Vade in pace, & noli amplius peccare.

